IN RESCRIPTUM BENEDICTI XIV. PONT. MAX.

AD POSTULATA SEPTEM ARCHIEPISCOPI COMPOSTELLÆ JEJUNII LEGEM SPECTANTIA COMMENTARIUS THEOLOGICUS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORD. PRÆD. SAC. THEOL. LECT.

EDITIO SECUNDA.

Adita eſt Epiſtola ejuſdem Auctoris ad POLYCARMUM de MONACHATU B. NICOLAI JUSTINIANI.



VENETIIS, MDCCLV.

APUD SIMONEM OCCHI.

In Via Mercatoria ſub Signo Italiæ. 13 . 15

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

VENERABILI FRATRI

ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLÆ

BENEDICTUS PP. XIV.



En. Frater salutem &c. Si Fraternitas tua secum reputabit quot gravissimis & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat imposita tenuitati Nostræ solicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur, tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Litteras, quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas e duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris Anni 1741. 30. Maji, & 22. Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos, immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. Quamquam igitur, dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent: nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula; tamen eximia paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adiecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

 I. Utrum

I. Utrum quæ in antedictis Nostris Litteris in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non pesmiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus: Non licere; sed opus habere, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica commessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant? Edicimus, observandam iis esse.

IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

V. An præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur? Affirmatur complecti.

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticina?

Rescribimus: Nihil in prænunciatis Nostris Apostolicis Litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione se se solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur: urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis: & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Ha-

Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quicquid apud Vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis Litteris dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad Oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant: in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti solicitudine nullus fiat differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi, præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demostrent, & illuc prompte dirigi potest quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim, nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri jejunii fines prætergressi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent quid in propositis quæstionibus constituendum esset, nec sibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem, studio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterum simul præcaventes, quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gressus vestros in promptu sit. Reliquum est, Ven. Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertiamur.

Datum &c. 8. Julii 1744.

INDEX CAPITULORUM.

CAPUT X.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Habeas, Venerabilis Frater, „ penitus explicatum quidquid apud „ vos ex nostris sæpius nuncupatis „ Apostolicis Litteris dubitationem „ attulisse scribis. Qua quidem in „ te laudavimus consilium tuum in- „ terrogandæ supremæ Romanæ Se- „ dis, ut libero, & non vacillanti „ gressu ad oves sana doctrina im- „ buendas incedere Pastores queant, „ in istoque tuo suscepto consilio „ agnovimus Hispanam Religionem, „ nihil sibi tutum nisi e Divi Pe- „ tri Cathedra acceptum reputan- „ tem, qua splendidissima gloria „ tantum nomen & incorruptæ fi- „ dei Hispania sibi peperit. „

CAPUT XI.

RESCRIP. PONTIF.

„ Cavendum tamen est, ne in „ expendendis Apostolicę Sedis Con- „ stitutionibus pro nimia exhau- „ riendi argumenti solicitudine nul- „ lus fiat differendi, ambigendique „ modus. Sedula deinde opera con- „ ferenda, ut istiusmodi dubia, „ quæ facile pro ingeniorum varie- „ tate disputando emergunt, peni- „ tus inter vos dirimantur, ne diu- „ turna unquam disceptatione flu- „ ctuent animi, præsertim, cum „ constitutiones ipsæ Apostolicæ sco- „ pum, quo tendunt, aperte demo- „ strent, & illuc prompte dirigi „ potest quicquid dubitando inter- „ turbare videatur. Id si animad- „ vertissent, qui de præsenti nego- „ tio plura dubitarunt, nodum si- „ bi exolvissent. Patebat enim ni- „ hil aliud Nobis in animo fuisse, „ quam cohibere vivida nonnullorum „ Theologorum ingenia, qui nimium „ sacri jejunii fines prætergressi, & „ non parum obliti, illud ad retinen- „ dum in officio corpus Divinitus „ institutum, hosti huic spiritus in- „ fensissimo blandiebantur. Statim „ siquidem comperissent quid in „ propositis quæstionibus constituen- „ dum esset, nec sibi molestiam ex- „ hibuissent, nec Nobis, quos gra- „ vissimæ undique circumstant cu- „ ræ, non parum temporis occu- „ passent &c. „

APPRO-

APPROBATIO

Illustrissimi, & Reverendissimi DD.

SILVESTRI EPISCOPI PORPHIRIENSIS

Et Sacrarii Apostolici Præfecti.

VIR Doctissimus P. Daniel Concina Ordinis Prædicatorum, quem alias Probabilistarum, quos dicunt, flagellum appellare consuevi, in Opere, quod novissime inscripsit &c. *In rescriptum Benedicti XIV. P. M. ad postulata septem Archiepiscopi Compostellæ Jejunii legem spectantia Commentarius &c.* tanta eruditionis copia, tanta ingenii vi propositum exequitur, & effrænes quorumdam Recentiorum opiniones circa Dispensatorum Jejunium refellit, ut plane gaudendum sit, & D. O. M. gratiæ agendæ sint quam plurimæ, talem ævo nostro datum fuisse Pontificem Zelo, Integritate, Judicio, Doctrinaque Summum, qui puriorem eo in capite disciplinam, edita Lege, instauraret, & depravatis prædictorum Dispensatorum moribus tamdiu optatum modum imponeret.

Dabam pro Censura nuncupati Operis ex ædibus in Palatio Quiriniali die 3. Decembris, 1744.

F. Silvester Episcopus Porphiriensis, & Sacrarii Apostolici Præfectus.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *Fra Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore di Venezia*, nel Libro Intitolato: *In Rescriptum Benedicti XIV. P. M. ad postulata &c. Theologicus Commentarius*, non v'essere cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore in Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padoa.

Data li 6. Marzo 1745.

(Gio: Pietro Pasqualigo Riformator.

(Gio: Emo Procurator Reformator.

(

Registrato in Libro a Carte 1. N. 1.

Adi 23. detto
Registrato nel Magistr. Eccellentiss. degl' Esecutori contro la Bestemia.

Alvise Legrenzi Segretario.

Michel Angelo Marino Segretario.

COM-

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS

PAPA XIV.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

NOn ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis cultoribus notum sit, a tota per Christianum Orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ Disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale jejunium, quod olim in Lege & Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a sacris Canonibus utique præscriptum, & ab universali Ecclesia, ab ipso sui primordio retentum & observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium Crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memoriam, Quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis jejunio corporibus & animis dignius paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella Divinæ ultionis avertimus, & cœlesti præsidio in dies adversus Principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito non contemnendum Divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Christi fidelium periculum oboritur: nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis & privatis cladem exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de sacratissima quadragesima, aliisque diebus jejunio consecratis persuasione & reverentia, quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna jejuniantium consuetudo, quantum ab ipsa jejuniorum institutione, & servata semper, ubique, & ab omnibus Diciplina quam longissime distet; Vos, Venerabiles Fratres, qui populorum curæ vestræ commissorum mores, & usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra præ cæteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicæ procurationis Specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam Quadragesimalis jejunii observantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse; ita ut Orthodoxæ quidem Religionis cultores merito querantur; hæresum vero

se-

fectatores illudant & exultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus; quæ usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti sacratissimique præcepti habita ratione, jejuniorum tempore palam & impune ab iisdem agitentur convivia, & epulæ interdictæ promiscue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Vestris communicamus; ita facere non possumus, quia pro injuncto Nobis supremo Sacrosancti Apostolatus officio, & ardentissimum Fraternitatum Vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fratres gaudium & corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quam ut verbo & exemplo præeuntes, Christi fideles ad tam salutarem Christianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, constantissime retinendam, & ea, qua instituta fuit, Disciplina peragendam vehementius inflammemus, omni opera, atque industria studeamus, ut fideles in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri. Debitum igitur Paternæ uniuscujusque Vestrum sedulitatis & caritatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis & annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, non nisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum Statuta præscriptis cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadragesimali jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe & arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est, cur Vobis explicemus; nolumus tamen Vos ignorare, cum hujusmodi necessitatem, & servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romæ, as Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus, & licitas atque interdictas Epulas promiscue minime apponendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi Indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo Divino Judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates Vestras rogamus, & in Domino exhortantes, obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christi fidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeant, commovere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, & Deo satisfacere negligant; quinimo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, & culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, & eleemosynæ munera redimant. Interim solatium & levamen non leve mœrori nostro a pastorali vigilantia, & caritate vestra præstolantes, ac certo Nobis pollicentes; Apostolicam benedictio-

ctionem cum uberi cœlestium charismatum copia conjunctam in eosdem populos vestros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumtis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Mensis Maji millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatuus nostri Anno primo.

D. Cardinalis Passioneus

Vene-

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS

PAPA XIV.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

IN suprema Universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam ut Ortodoxæ Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ Disciplinæ custodes ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod *inter præcipua orthodoxæ Disciplinæ capita* semper, & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, *ab hodierna Jejunantium corruptela vindicare, & in pristinam*, quantum, benedicente Domino, fieri posset, *observantiam revocare cupientes*, per alias nostras in simili forma Brevis litteras ad Fraternitates vestras die xxx. proxime elapsi mensis Maji currentis anni datas eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte & optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, & salutare *abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ* remedium deesset. Quoniam autem paternæ Pontificiæ caritatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex apostolica benignitate censuimus; *ita inter cætera præscripsimus Unicam Comestionem servandam*, & licitas atque interdictas Epulas minime esse apponendas. *Hinc factum esse accepimus, quod non defuerunt qui per humanas & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant*, Unicam potissimum Comestionem servari, atque Epulas licitas & interdictas minime apponi debere; cum multitudinis quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam & de utriusque Medici consilio dispensatur. *Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam* ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni Temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, *Unicam Comestionem servandam*, & licitas atque in-

interdictas Epulas minime esse apponendas tenore præsentium *declaramus & edicimus*; quemadmodnm per singulas nostras in pari forma Brevis-litteras singulis utriusque sexus Christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima allisque Jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique *expresse præscribimus atque præcipimus*. Ea propter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando sustinendoque Jejunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis; imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in Cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos christianæ militiæ milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare præcipit incorruptam; ad cujus auspicium & pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictioonem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem, ut præsentium transumtis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda mensis Augusti millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

COM-

COMMENTARIUS THEOLOGICO-MORALIS IN RESCRIPTUM PONTIFICIUM BENEDICTI XIV.

FEL. REGNANTIS

AD

Postulata septem Archiepiscopi Compostellæ

SUPER

Nonnullis difficultatibus legem jejunii spectantibus.

CAPUT PRIMUM.

Necessitas, ratioque scribendi.

I. ETIAM ne de jejunio Disputatio, post duo Pontificia Diplomata edita anno 1741. *Non Ambigimus*, & *In Suprema*: post commentarios in eadem evulgatos: post demum omnium Catholicæ Ecclesiæ Episcoporum Edicta ad ejusdem jejunii observationem, & cultum instaurandum, promovendumque lata? An tempestate nostra cum Magno Basilio canere non licet? *Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus Mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii Edictum. Quin, & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt Edictum, & summo gaudio excipiunt. Orat.* 2. Quid itaque iterum de jejunio disputando, plus molestiæ auribus exhibes nostris, quam patiatur jejunando palatum? Æquissimæ querimoniæ, meritæque censuræ, si voluntatis, non necessitatis sermo esset. Jurassem ipse, nunquam me in posterum de jejunio verba facturum post duo edita hocce de argumento scripta. At sic erat in fatis, ut denuo vel

invitus hanc fufciperem provinciam. Parendum enim fuit quibus & religio, & vota, & grati animi leges jubent. Quare fpero fore, ut & benevolos objurgatores placare, & invidos vituperatores refellere valeam, ut alteros reprehendiffe pœniteat, alteri fe didiciffe gaudeant.

II. Et primum, ut ab indicatis cenfuris hancce oppellam vindicem meam, fcribendi neceffitas, occafioque patefacienda. Evulgatis præfatis Apoftolicis Litteris, contraria fuper earumdem intelligentia prodiere interpretamenta, in infigni Hifpaniarum Compoftellana Diœcefi, orta diffidia, inftitutæ difputationes. Has tanti fecit prudentiffimus, atque illuftriffimus Archipræful Compoftellæ, ut expediens minime judicaverit, eas ipfe componere folus; fed, ut in gravioris momenti controverfiis confuetudo femper obtinuit, ad Apoftolicam Sedem fupremum veritatis Tribunal caufam detulit, & Poftulata feptem Sanctiffimo Pontifici BENEDICTO XIV. dirimenda fubiecit. Deliberationem obfequii, & maturitatis pleniffimam ratam, probatamque habuit Pontifex Summus, qui in fuo Refcripto & præftantiffimi Archiepifcopi, & univerfæ inclytæ Hifpanæ gentis pietatem, zelum, & Religionem, fecundum Deum, erga Divi Petri Cathedram comendavit his verbis: *Qua quidem in re laudavimus confilium tuum interrogandæ Supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti greffu ad oves fana doctrina imbuendas incedere Paftores queant, in iftoque tuo fufcepto Confilio agnovimus Hifpanam Religionem nihil fibi tutum, nifi e Divi Petri Cathedra acceptum reputantem; qua fplendidiffima gloria tantum nomen, & incorruptæ fidei fructum Hifpania fibi peperit*. Si magnum eft a magno viro laudari, gloriæ, & ornamento vertere fibi jure valet Archipræful Compoftellanus, & generofa Hifpana Natio fplendidiffimum elogium a Sapientiffimo Pontifice impertitum.

III. Ad Poftulata quod attinet, quamquam Pontifex Maximus immenfa negotiorum mole pene obrutus, atque inter fæviffimas univerfæ Europæ ad fui internecionem confpirantis procellas Petri navim dirigere occupatus, non propterea illa diffimulavit, fed fingulis fingula Refponfa luculentiffima præbuit. Heinc habes non levem, fed gravem, & illuftratione dignam effe caufam, quam orandam fufcipio. At, inquies, fi perfpicua funt, atque comperta Pontificia refponfa, inter-

interprete non egent; & auctoritate summa cum polleant, rationibus firmari haud postulant. Impleri exacta observantia debent, minime in examen vocari. Bene habet. Verum S. Petrus ipse *epist.* 1. *cap.* 3. *v.* 15. jubet: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*: Quem textum hoc pacto exponit S. Thomas in commentariis in hanc Epistolam. *Omni poscenti vos, sive fideli, sive infideli, poscenti scilicet ad dicendum, non calumniandum . . . . . rationem reddere debemus, ut quærentibus rectas causas spei, & fidei intimemus.*

IV. Duo Interpretum genera distinguas, oportet. Unum eorum, qui legis fundamenta exponunt, ut ejusdem observantiam promoveant, atque inculcent. Alterum illorum, qui verba legis aucupantur, ut legem circumveniant, & seipsos, cæterosque a legis onere eximant. Casus, distinctiunculas, quæstiones excitant, disputant, rixantur. Et omnia eo pertinent, ut lex tandem in nihilum occidat. Exempla pervia occurrunt in hac ipsa causa. Primum Diploma *Non Ambigimus* suapte natura perspicuum, exploratumque est, ut ipsi palam fecimus in opere inscripto *la Disciplina Antica, e Moderna &c.* Nihilo secius alterum edere opus fuit inscriptum *In Suprema* ad captiosa labefactanda commenta. Post hæc omnia, en septem excitatæ super utrisque Apostolicis Litteris quæstiones, quæ & Illustrissimo Archiepiscopo molestiam exhibuere, & Pontifici summo gravissimis distento curis non parum temporis surripuerunt.

V. Nec mireris super apertissimis Litteris Apostolicis lites, & controversias excitatas esse. Quoniam nulla lex fuit unquam, eritque in posterum, adeo perspicua, & manifesta, quam in contentionis certamen adducere acuta hominum ingenia nequeant. Legislator quippe communem subditorum felicitatem spectat, eaque præcipit, aut vetat, quæ communiter contingunt. Casus omnes peculiares nemo, quamtumvis sapientissimus prævidere, & dirimere in antecessum valet. Quid, quod si occurrere omnibus disputationibus vellent, non Constitutiones, aut Bullas, vel Litteras, sed ingentia volumina edere Pontifices, & Legislatores deberent. Et tum confusionem majorem, atque incredibilem inveherent. Nam si brevis, & clara constitutio vividis ingeniis vitilitigandi, & contendendi occasio est; quem vastum, interminatumque

disputandi campum non aperirent prolixæ, & pluribus distinctionibus, & casibus involutæ leges? Quare sapientissime S. Thomas docet, haud expedire, ut Legislator, etiamsi posset, omnes casus exprimeret. *Dicendum, quod nullius hominis sapientia tanta est, ut possit omnes singulares casus excogitare: & ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea, quæ conveniunt ad finem intentum: & si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret, ut omnes exprimeret, propter confusionem vitandam: sed legem ferre deberet secundum ea, quæ in pluribus accidunt. 1. 2. q. 96. a. 6.* Regulam prudentis, & sinceræ interpretationis ibidem Angelicus ex S. Hilario subministrat. Spiritum legis, & scopum, quo potissimum lex spectat, diligentissime considerandum admonet, & nos infra ostendemus. Si quis verborum apices perscrutari velit, neglecto legis spiritu & fine, nullus erit contentionis modus. *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus. Ergo magis est attendendum ad causam, quæ movit legislatorem, quam ad ipsa verba legis.* Sed de his plura sub finem commentarioli nostri, ubi palam fiet, simplicitatem, atque docilitatem necessariam esse ad veram legis intelligentiam assequendam. Vix de lege controversantur, qui sincero implendæ legis desiderio flagrant. Sed ii acriter de lege disputant, & innumeras super legitimo legis sensu sophisticas argutationes, & difficultates movent, quibus legis solvere pensum displicet. Hi cum cavillari verba legis nequeunt, legislatoris intentionem & finem in discrimen adducunt, & ad sua interpretamenta detorquere omnia student. Si quid ergo fastidii, si quid molestiæ tibi allatura sit hæc repetita de jejunio disputatio, id non in præclarissimum Archiepiscopum Compostellanum, qui, ut contentionibus finem imponeret, supremum adiit Tribunal: non in me, omnia alia præter sermonem de jejunio cogitantem, regeras velim; sed in illos dumtaxat, qui has quæstiones suscitarunt, atque ad easdem refellendas coegerunt.

VI. Paucis consilium meum habeto. Tametsi Pontificia Responsa clara, pervia, atque evidentia sint, tamen si ex præteritis ominari futura licet, non deerunt qui aut nimii rigoris eadem causentur, aut veluti arbitraria traducant. Quapropter operæ pretium me facturum existimavi; si inconcussa, quibus vertuntur, fundamenta manifestavero.

Illuc

Illuc omnis mea tendet oratio, ut evincam talia Pontificem Summum propositis sibi quæsitis præbuisse responsa, qualia & legis natura, & justæ dispensationis regulæ necessario postulabant. Nil novi oneris Pontifex in suis responsis præscribit, sed id declarat, quod sacræ inediæ, temperantiæ, & sobrietatis leges præcipiunt. Hæc de genere universo: mox sigillatim omnia expendam.

CAPUT II.

„ Utrum quæ in antedictis nostris Litteris *in forma Brevis* „ de unica comestione, & de epulis non permiscendis „ præscribuntur, *sub gravi* etiam prohibeantur.

I. ORdo in hoc nostro commentario servandus ejusmodi erit. Antequam Pontificium Rescriptum exponam, rationes, quæ quæstiunculis excitandis occasionem, quatenus conjicere mihi licuit, dedere, in medium afferam. Post, Responsa Pontificia adjiciam, & quam firmis, atque inconcussis sint nixa momentis, palam fiet. Hac via non authoritate modo, verum etiam rationum vi, lectorum mentes in obsequium subigam veritatis. Rem ipsam ingredior.

§. I.

Momenta propositi Quæsiti *excitandi, solutionisque petendæ.*

II. DUO in *Quæsito* proposito resolvenda. Alterum, sitne unica comestura cum esu carnium conjungenda sub gravi præcepto in itteris Apostolicis præscripta? Alterum, prohibeatur ne sub gravi itidem præcepto cum illicitis epulas permiscere licitas? Momenta de his duobus controversandi sunt, nisi conjectura aberrem, quæ sequuntur.

III. Et ad primum quod attinet, nonnullis minorum gentium Auctoribus, recentibusque Scriptoribus visum est, carnium esum cum jejunii lege sociari minime posse. Jejunium enim, inquiunt illi, conflatum quoddam metaphysicum est, seu *ens individuum*. Ergo potiori sublata parte, tota corruat jejunii natura oportet. Potior autem pars,

ſeu forma ſubſtantialis jejunii, abſtinentia a carnibus eſt. Ergo uſu carnium conceſſo, tota aufertur jejunii eſſentia. Nequeunt itaque Superiores unum ſine altero concedere; quoniam haud eſt in eorumdem poteſtate rerum permutare naturas. Hac munitus ratione P. Andreas Mendo contendit, Gregorium XIII. in privilegio carnium edendarum Hiſpanis conceſſo, non juſſiſſe unicam ſervandam comeſturam, quod, aut jejunii naturam permutaſſet, aut novam jejunii formam invexiſſet. Hæc ſunt recentis Theologi verba. *Pontifex in præſenti non inſtituit de novo aliquam jejunii eſſentiam: alioquin vel mutaſſet ejuſmodi eſſentiam, cujus conſtitutivum eſt abſtinentia a carnibus, ut diximus cap. 1. vel auxiſſet formam jejunii, duplicem conſtituendo: aliam quæ adhuc erat, aliam quam denuo inſtituit, primam immutatam relinquens: utrumque autem eſt abſonum, & non auditum. Diſput. 17. cap. 2. n. 11.* Hæc eſt prima, & unica ratio ab intimis rei principiis arceſſita.

IV. Accedit, quod ſi Superior ab eſurialibus eſcis diſpenſans, præciperet unicam Refectionem, nihil jejunii imponeret. Hoc quippe jejunii nomen toti, non parti convenit. Ergo proſtrato toto compoſito, unica pars totius nomen ſubire minime valet. Numquid dempta anima rationali, hominem appellabis cadaver?

V. Poſtremam diſputandi rationem ab ipſis Litteris Apoſtolicis repetere ſtudent. Tametſi, inquiunt, concedatur, poſſe Pontificem eſum carnium impertiri, præſcripta jejunii forma, id tamen minime præcepit BENEDICTUS XIV. in ſuis Apoſtolicis Litteris. Idque hoc pacto evincunt. In primo Diplomate Pontificio inſcripto: *Non Ambigimus*, verba non habentur, quæ præceptum prodant. Minime quippe hæc leguntur: *Jubemus, præcipimus, imperamus. Teneantur omnes. Obligentur omnes. Prohibemus. Nemini liceat, & id genus ſimilia.* Accedit, quod etiamſi in ſecundo Diplomate Apoſtolico verbum *præcipimus* occurrat, non propterea infertur edici præceptum: aut ſi præceptum præſcribatur, non continuo colligitur, illud ſub gravi culpa onus imponere, ut docent Juniores non pauci. Unius, præ cæteris, reſcribere verba ſufficiat, nempe P. Thomæ Tamburini inquientis Meth. Commun. cap. 4. num. 49. & 50. „ Doctores quærunt univerſaliter, an verba imperativi „ Modi, & in actu exercito præceptum indicantia, abſolute prolata

„ præ-

„ præceptum contineant, qualia sunt: *Facite. Solvite. Abstineant omnes.* „ *Nemo audeat*, & his æquipollentia. Et primo sunt alii, qui putant „ *Probabiliter* hæc nequaquam eontinere præceptum, sed *consilium* . . . „ Alii secundo *probabiliter* censent quidem præceptum contineri, *sed* „ *solum sub veniali, non autem sub mortali*. Alii denique tertio *Probabi-* „ *liter* dicunt prædicta imperativa verba, tunc solum præcepta indica- „ re *sub mortali* quando sunt in materia gravi . . . . Si sequamur *pri-* „ *mam* opinionem, non inveniemus, nisi consilium . . . . Si sequamur „ *Secundam*, non erit obligatio, nisi sub veniali. Si sequamur *tertiam* „ non erit mortale, quia, ut probabimus, materia in casu nostro non „ est gravis.

„ Secundo. In casu dubio, an verba aliqua legis præceptum obligans „ importent, an consilium; tanquam Regulam certam ponunt Docto- „ res reputanda esse consilia, & non præcepta: & ratio est, quia cum „ lex sit gravis, & onerosa, semper in benigniorem partem est inter- „ pretanda. Adde, quod in dubio melior est conditio possidentis. Er- „ go in dubio, lex ne sit obligans, aut non obligans, melior erit con- „ ditio humanæ libertatis. „

VI. Paucioribns verbis rem totam dirimunt alii inquientes: præceptum de quo in utramque partem disputant Theologi, non est præceptum. Disputatur autem, utrum præfata Pontificia Diplomata sub gravi noxa unicam comesturam imponant: & quidem adeo acris arsit contentio, ut Archiepiscopus Compostellanus coactus fuerit ad Supremum Tribunal litem deferre, judiciumque implorare. Nullum ergo præceptum est, lex nulla. Lex enim dubbia non est lex. Dubia vero est, dum in controversiam a Theologis vocatur.

VII. Non minori contentionis æstu disputant Casuistæ super secunda *quæsiti* parte, de permiscendis cum vetitis licitis epulis. Negantem sententiam tenuisse Navarrum adfirmant P. Vincentius Filliucius, Trullenchus, Fagundez, Villalobos, Diana. *Sed male omnes*, inquit P. Leander a Sanctissimo Sacramento *tract. 5. disp. 2. q. 29.* Nec falso id asserit Leander, nam reapse Navarrus hanc quæstionem non versat *tom. 1. Consil. 5. n. 2.*

VIII. Adfirmantem sententiam de jejunantium escis cum carnibus, jejunii

jejunii tempore conjungendis propugnant Filliucius *tract.* 27. *p.* 2. *cap.* 3. *num.* 55. Fagundez *lib.* 1. *de* 4. *præcept. Eccles. cap.* 2. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 14. Azorius *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 5. Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *Ref.* 77. Trullenchus *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. Villalobos *tract.* 23. *diff.* 8. & alii, quos allegat *Leander*. Sed minus exacte, nam aliqui, ut Azorius, lacticiniorum tantum cibum cum piscibus permisceri licite posse asserunt.

IX. Sed rationem audiamus, qua Recentes isti Theologi sacræ abstinentiæ tempore utrasque epulas licitas, vetitasque manducari indiscriminatim posse contendunt. Ne iisdem imponere videar, verba transcribo ejusdem *Leandri loco cit.* inquientis. „ Sed tanquam *mihi certum* respondeo, posse: quia qui dispensat, ut quis possit in diebus prohibitis „ comedere carnes, nullo modo prohibet, ne simul cum illis comedat „ pisces: ergo cum alias horum comestio sit licita, in ipsismet diebus, „ in quibus prohibentur carnes, licite poterit carnes, & pisces simul „ comedere, si alias ex comestione piscium non proveniat comedenti „ aliquod damnum. „

X. Limitatio isthæc minime arridet P. Thomæ Tamburino. Piscium epulæ noceant comedenti. Quid heinc? In temperantiam is, secus in jejunii legem peccabit. Sic ille scribit *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 6. „ Quarto dispensatus ad carnes, potest simul comedere pisces, quia „ nulla lex adest, quæ hæc simul comedere prohibeat. *Quod* si saluti „ noceant, fiet quidem contra temperantiam, non vero contra legem „ Ecclesiasticam jejunii. „

XI. Hæc sunt rationum momenta, quæ suadere videntur, nec unicam comesturam sub mortifera noxa præcipi iis, qui carnibus ex dispensatione vescuntur; nec graviter epularum permixtionem interdici.

§. II.

§. II.

R E S C R I P T. P O N T I F.

„ Respondemus : concedentes facultatem vescendi carnibus
„ tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non
„ aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus:
„ videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscen-
„ darum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultati-
„ bus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones im-
„ plendas obligari „.

In recensito Pontificio responso nihil novi oneris imponitur, sed vetus declaratur : idque præscribitur, quod justæ dispensationis Regulæ necessario exigunt.

XII. PONTIFICIUM Responsum adeo planum est, atque exploratum, ut nulla valeat vel sophistica argutatione eludi. Bene habet, inquient, fortasse non pauci. At pio supremæ voluntatis arbitrio potestatem impertiendi edendarum carnium licentiam coarctat, angustisque terminis circumscribit. *Novum jus* condit, novumque onus hominum humeris imponit. Parendum est Legislatori quia jubet, non quod ipsius dispensationis natura id postulet, exigatque.

XIII. Commenta isthæc extremam legislatori invidiam conflant, tetricæ severitatis notam illi inurunt, subditorum affectum in eumdem extenuant, legemque ipsam despicabilem efficiunt. Pugnant enim mutuo lex, & libertas. Quamobrem nihil intentatum homines negligunt, ut vel legis jugum excutiant, vel in Legislatoris nimiam severitatem illud regerant. Clementia, mansuetudo, benignitas sunt, inquiunt, characteres optimi Legislatoris, nullaque re Deo, cujus vices gerit, propius accedit, quam lenitate, misericordia, atque benignitate in aptandis suis hominum imbecillitati mandatis. Anticipationes istæ in causa nostra ex illa opinione, quam §. I. descripsi, ortum ducunt. Adeo siquidem illa inveteraverat, ante duo Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. Diplo-

Diplomata, inscripta *Non Ambigimus*, & *In Suprema*, ut pro lege eam haberent benignioris ethices assertores, & vindices, quemadmodum eorum libri testes sunt. Porro, ne se certasse sincere fateantur, novum jus conditum adfirmant. Quod quam sit falsum continuo evincam.

XIV. Eo itaque cum primis tendit oratio nostra, ut palam faciam, Regnantem Pontificem BENEDICTUM XIV. in hoc suo *Rescripto* vetus explicasse, minime novum condidisse jus. Declaravit id, quod & legis vis, & justæ dispensationis natura postulant. Ante hoc Rescriptum tenebantur concedentes facultatem vescendi carnibus præfatas duas conditiones apponere. Si ignorantia & bona fides a crimine excusare tum poterint negligentes, cæteri viderint. Nulla revera nunc opitulatur ignoratio. Hæc ego evincenda suscipio, & nisi me omnia fallunt, evidenter. Quod ut facilius præstem, altius arcessenda sunt & legum, & dispensationum principia.

XV. Legis finis commune subditorum bonum est. Huc lex omnis pertinet, ut communem felicitatem promoveat. Interdum tamen accidit, ut bono communi expediat legem ipsam non observari. Hæc est doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 96. a. 4. *Omnis Lex ordinatur ad communem hominum salutem. Contingit autem multoties, quod aliquid observari communi saluti est utile, & in pluribus: quod tamen in aliquibus casibus est maxime nocivum .... Unde si emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda*. Quemadmodum lex, ita & legis relaxatio seu dispensatio bonum commune spectat. Quoniam vita, & sanitas subditorum boni communis naturam ingrediuntur. Sublatis quippe subditis concidit omnis lex. Quoties legis observatio manifeste opposita bono communi est, seu quando subditis graviter noxia est, reipsa cessat, quia necessitas legem non habet. Contra, dum oppositio legis ad bonum commune, & exemptio subditi a lege dubia sunt, tum Superioris est sententiam ferre, dubitationes dirimere, & dispensationis privilegium impertiri. Judicium istud adeo est arduum, ut Evangelista Lucas exclamet c. 12. *Quis putas est fidelis dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam?* Heinc Doctor Angelicus colligit, graviter Superiorem delinquere, qui in dispensatione concedenda,

da, aut bonum commune, quod est justæ dispensationis regula & mensura, non respicit, aut hanc doctrinam, sine qua munus dispensationis exercere juste nequit, ignorat. Quisque enim, quæ sui status sunt, & officii scire debet. (*Si autem* subdit S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 4.) *absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem si rationem dispensandi ignoret.* Tanti hanc doctrinam Angelicus facit, quo iterum ibidem ad primum Superiores admoneat, ut semper in dispensatione quaque præ oculis habeant boni communis incrementum. *Quando cum aliquo dispensatur, ut legem communem non servet, non debet fieri in præjudicium boni communis, sed ea intentione, ut bonum commune proficiat.*

XVI. Concinunt Angelico Patres omnes, qui argumentum istud versarunt. S. Bernardus præ cæteris illud exponit, manifestamque in relaxanda lege boni communis compensationem requirit. Sic enim scribit *lib. de Præcept. dispensat. cap. 2. Sed non omnibus in hujusmodi credita est dispensatio, nisi in his dumtaxat, qui cum Apostolis dicere possunt:* Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. *Novit autem fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum usurpare dispensationem, unde bonam habere possit compensationem. Hoc quippe quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Neque doctrinam hanc, ut concludit sub ejusdem capitis finem, solus ipse invexit, sed a prioribus Patribus haustam in nos derivavit. *Numquid autem hoc ego, vel solus sentio, vel primus dico? An non hoc ipsum & Papa Gelasius sensit? Ait siquidem: ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant Patrum Sanctorum decreta. Leo quippe Papa: Ubi, inquit, necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum statuta violentur. En infert: Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.*

XVII. Innumeros alios Sanctorum Patrum textus huc adferre possem: sed ut prolixitatem declinem unicum sacrosanctæ Tridentinæ Synodi testimonium, quod omnibus prævalet, transcribo ex *sess. 25. de Refor. cap. 18. Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxari, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat:*

Si fre-

Si frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus & quoad fieri poterit indistincte observari. Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita, ac SUMMA MATURITATE, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque dispensatio subreptitia censeatur.

XVIII. Prosper Fagnanus Doctissimus Canonista, & Disciplinæ cum Ecclesiasticæ, tum Monasticæ præfervidus vindex testatur *Cap. Nimis de fil. Presbyt.* Omnium Conciliorum, Canonistarumque auctoritate ad justam licitamque dispensationem, causam prærequiri magnam, urgentem, maximam. *Causa in dispensatione debet esse magna, seu quod idem est, major, maxima, justa, evidens, urgens, & his consimilis . . . . Alioquin si hujusmodi causa desit, non est dispensatio, sed dissipatio.* Disputant Theologi, & Canonistæ, queat ne Pontifex ipse, ceu Supremus Legislator, a legibus Ecclesiasticis cum aliquibus dispensare omni sublata rationabili causa. Et tametsi super dispensationis valore diffideant, convenit tamen penes illos, eumdem absque causa dispensantem peccare, illicitamque dispensationem ejusmodi fore. Dispensationes vero ab inferioribus Papa, absque justa causa concessas, & illicitas, & nullas esse ajunt omnes. Quæ omnia confirmantur auctoritate Sapientissimi Pontificis feliciter Regnantis, qui in suo primo Diplomate *Non Ambigimus* hanc præscribit clausulam. *Nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio &c.*

XIX. Heinc colligas velim tria. Alterum, quo majoris momenti lex est, eo graviorem pro illius relaxatione causam necessariam esse. Alterum, jejunii legem gravissimam esse, utpote jure naturali, Divino, & Ecclesiastico, vario respectu habito, præscriptam, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 3. *Unusquisque autem ex naturali ratione tenentur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad prædicta. Et ideo jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ. Sed determinatio temporis, & modi jejunandi, secundum convenientiam, & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto juris positivi, quod est a Prælatis Ecclesiæ institu-*

inſtitutum: *& hoc eſt jejunium Eccleſiæ*: *aliud verò eſt naturæ*. Hæc generalis jejunii, ab ipſa lege naturæ præſcripti, notio, cilicia, flagellationes, & quodcumque opus exterius corpus affligens, carniſque petulantiam cohibens, complectitur. Si plura cupis, conſule opus noſtrum inſcriptum. *La Diſciplina Antica, e Moderna della Romana Chieſa intorno al Sagro Digiuno Quareſimale cap.* 3. ubi fuſe punctum iſtud diſpexi. Tertium atque potiſſimum ejuſmodi eſt. Non plus oneris a lege præſcripti remittendum eſt, quam neceſſitas illius, cum quo diſpenſandum eſt, exigit, nimirum aut in totum, aut in partem. Si neceſſitas talis fuerit, ut ſubditus omnino a tota lege eximatur, abſoluta diſpenſatio impertienda eſt. Si lex dividua fuerit, & ſubditus non egeat tota exemptione, pars oneris remittenda erit, ut mox evidenter oſtendam.

XX. Prejacta hac inconcuſſa doctrina, quæ Sillogiſmi noſtri primam veluti propoſitionem format, ad ſecundam nunc evincendam accedo: nullam ſcilicet occurrere neceſſitatem, nullam urgere rationabilem cauſam, cur concedentes eſum carnium, ſacræ inediæ tempore, impertiri quoque duplicis comeſturæ privilegium debeant. Quam propoſitionem, ut evincam, pauca perſtringere cogor ex iis, quæ fuſiore calamo explicui in libro inſcripto. *La Quareſima Appellante*. Illud verò in anteceſſum admoneo, quod ibidem dictum eſt, ſermonem nunc eſſe de carnium eſu, permiſſo Chriſtianis illis, quibus piſcium eſcæ incommodant, aut qui eorumdem & lacticiniorum caritate laborant: ſecus de infirmis, & debilibus, qui æque repetita refectione, ac ſelectioribus epulis recreari indigent. Abſolutam, & illimitatam diſpenſationem iſtis eſſe impertiendam fatentur omnes. His delibatis, propoſitionem meam evinco.

XXI. Verbum *jejuno* non edere ſignificat. Prima ergo jejunii notio abſtinentia a cibo eſt. Quoniam vero vitam agere abſque eſu homo nequit, iccirco tum in veteri, tum in novo fœdere, unicum in die eſum jejunantibus lex præcipit. Hæc unica comeſtura duo præſtat, nimirum vitam alit, & carnis rebellionem coercet, ut docet Angelicus 2. 2. q. 147. a. 6. *Jejunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam, ita tamen quod natura ſalvetur. Ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt & naturæ ſatisfacere, & tamen concupiſ-*

cupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur. Huic unicæ comestioni adjectus est ciborum delectus, seu abstinentia a carnibus. Harum ergo duarum partium, quibus constat jejunium, potior est unica comestio, posterior vero carnium privatio. Quamobrem Cajetanus inquit 2. 2. *q.* 147. *a.* 7. *Quoniam jejunium Novi Testamenti ex abstinentia carnium, & unica comestione constat tanquam ex partibus substantialibus, ita quod unica comestio est ESSENTIALIOR jejunio, utpote a principio jejunii instituta in Veteri Testamento.* Sententiam hanc evidenter, ut ego quidem arbitror, demonstravi, citato opere *La Quaresima Appellante.* Si plura cupis, illud consule. Ergo, hac admissa sententia, omnium Theologorum consensu, grave peccatum peccat, qui esum carnium permittens, eo ipso iteratam comesturam impertit. Quis Theologorum unquam asseruit, concessionem minoris majorem quoque partem secum trahere? Ciborum delectus minor est jejunii pars, ut probatum est. Ergo istius concessio nullo modo infert potioris partis permissionem, nisi peculiaris ratio infirmitatis urgeat, quemadmodum non urgere in nostro casu convenit penes omnes.

XXII. Non arridet laudata sententia? Esto. Ordinem inverte. Fac carnium esum principem in jejunio partem esse: posteriorem unicam comestionem. Quid inde? Non ne penes Catholicos omnes certum est, jejunium Romanæ Ecclesiæ duo complecti præcepta, quorum alterum iteratam comesturam, alterum carnes vetat? Præcepta hæc ut pote humana, liberaque auctoritate invecta, separabilia sunt, nemine refragante. Quo inconcusso principio posito, sic arguo. Dispensatio quæque, ut licita sit, & valida, ex justa, & rationabili causa concedi, communeque spectare bonum debet. Incommodum quod cibi quadragesimales stomacho inferunt, sufficiens dispensandi a carnibus causa est. Ut vero alterum unius comesturæ mandatum relaxetur, quænam causa? Christianus carnium esu ob stomachi defectu indigens, sanus est, atque robustus. Quid ergo causæ occurrit, cur licite cum eodem super unica refectione dispensari queat? Alter Christianus ejusdem sanitatis, qui esuriales comedit escas, semel in die reficitur. Ille vero selectioribus epulis recreatus, esus iterabit? Præcepta, ut dixi, separa-

bilia

bilia sunt, unumque sine altero consistere valet. Ergo graviter delinquit Superior, suique ministerii prævaricator efficitur, cum alterum præceptum unius refectionis relaxat, cujus relaxandi causa occurrit nulla.

XXIII. Major, inquis, pars minorem absorbet. Abstinentia a carnibus major est jejunii pars ergo: hac sublata, necessario aufertur altera unius comestionis. Doctrina hæc proscripta ab Innocentio XI. est in hac propositione 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Quoties ratio damnatæ thesis militat pro altera consimili thesi, hæc in illa damnata intelligitur. Eadem est utriusque propositionis Divini Officii, & Ecclesiastici jejunii ratio. Ergo utraque damnata. Eamdem esse rationis, ut ajunt, identitatem patet. Quin validior respectu jejunii ratio urget. Unicum quippe præceptum est canonicas horas præscribens. At quia hæ distinctæ sunt, & in qualibet illarum finis elucet præcepti; idcirco proscripta doctrina est illorum Theologorum, qui contendebant horarum Canonicarum pensum individuum esse, majoremque partem absorbere minorem. At duo, ut minus sunt, omnium consensu, jejuni præcepta, quorum alterum unicum esum præcipit, alterum carnes vetat. In utralibet parte præcepti finis, qui conflictatio carnis est, consistit. Quis enim Catholicorum ibit inficias, abstinentiam a duplici comestura partem esse exterioris pœnitentiæ? Quin si hæc duo comparentur, magis prohibitio iteratæ refectionis, quam interdictio carnium gulam torquet, & concupiscentiæ rebellionem comprimit. Plus itaque Ecclesiasticum jejunium, quam Divinum Officium dividuum est. Ergo vi justi ratiocinii in proscripta horarum Canonicarum doctrina, proscripta est hæc altera, quæ docet, dispensationem a carnibus secum trahere dispensationem ab unica comestione. Evidens igitur est gravi scelere inquinari eum, qui a præcepto unicæ comestionis Christianos absolvit, non alia ductus ratione, nisi, quod facultatem carnium edendarum impertiit.

XXIV. Heinc profligata omnino remanet prima ratio supra §. 1. relata, quæ excitandæ quæstioni, sedemque Apostolicam pro ejusdem solutione adeundi causam dedit. Quid enim sensui communi repugnantius,

tius, quam individuam afferere jejunii naturam, illamque metaphyfico composito affimilare? Iftius partes non aliena voluntate, fed natura fua junctæ funt. Jejunium totum morale eft pluribus conflatum partibus, pluribufque præfcriptum mandatis reapfe disjunctis. Nonne juvenes a carnibus abftinent, & ad vigefimum primum annum ufque duplicato paftu reficiuntur? Nonne Quadragefimales dies Dominici a jejunio, fecus ab abftinentia foluti funt? Dierum Sacrorum obfervatio duo complectitur. Ab opere fervili abftinentia, & Sacrofancto Miffæ Sacrificio adeffe. Non ne frequentiffime, unum fine altero confiftit? Nonne Theologi omnes adfirmant, graviter Superiorem peccare, qui Chriftianum abfolveret ab onere audiendi Sacrum, quia illi facultatem indulfit, ut opera agere fervilia queat? Qui ære gravatus alieno centum folvere nequit, valet autem quinquaginta: numquid non tenetur folvere partem, quia non valet totum? Nonne infidelitatis, & injuftitiæ argueretur villicus, qui debitores difpenfaret a folutione dimidii debiti, propterea quod impotentes funt ad integram folutionem? Infidi ergo Sacrorum Canonum cuftodes, Divinique Minifterii prævaricatores habendi funt Superiores illi, qui exigere a fubditis negligunt unius præcepti debitum penfum, quod duo præcepta obfervare ifti nequeant.

XXV. Tandem Refponfum Pontificium BENEDICTI XIV. Anteceſforum Pontificum, & Synodorum Decretis inhæret. Gregorius XIII. in Bulla Cruciatæ hæc præfcribit. *Ita quod, qui carnes comederint, fervata in cæteris jejunii Ecclefiaftici forma, dicto jejunio fatisfeciffe cenfeantur*. De hoc Diplomate fermo redibit, dum fextum quæfitum exponam. Alexander VII. in privilegio Romanis conceffo an. 1657. edendarum carnium, hac claufula limitat difpenfationem. *Etiamfi carnis ufum concedat, neminem tamen a jejunii lege folvere intendit*. Sapiens æque ac pius Pontifex Clemens XI. in fuo Edicto an. 1703. hæc adjecit. *Tenentur obfervare jejunii legem, cui devincti illi funt, quibus ob juftam caufam permittitur, ut tempore quadragefimali carne falubri vefcantur*. Decreta Synodalia prætereo, ne in re perfpicua æquo prolixior fim. Illud dumtaxat addiderim, quod benignioris ethices cultoribus maximi erit ponderis, nimirum P. Claudium La Croix teftari communiter Epifcopos concedentes carnium cibum adjicere limitationem unicæ comeftio-

mestionis. *Hoc ipsum* (inquit *lib.* 3. *q.* 140. *n.* 1269.) *communiter declarant Episcopi dispensantes pro carnibus, se non aliter velle dispensare, quam relinquendo obligationem jejunii, quoad refectionem unicam.* Qui plura avet, adeat laudatos libros nostros *La Quaresima Appellante*, & *La Disciplina Antica, e Moderna &c.* Eorum, quæ itidem dicta sunt, isthuc transcribere nonnulla coactus fui necessitate ejusdem versandi argumenti cogente. Quod ideo repeto, ne me actum libere agere accusent morosi aliqui critici.

XXVI. Perpendas nunc obiter velim, quam prævalida sit secunda ratio §. I. indicata, videlicet, jejunium cum esu carnium conjunctum appellandum jejunium non esse. Nam jejunium vocant Pontifices Summi, & graviores Theologi. Quod si tu præceptum unicæ comestionis jejunium vocare recusas, nulla ego tibi intentabo litem. Illud dumtaxat jure postulo, ut exacte unicam comesturam serves, teque ab iterata abstineas. Hanc vero abstinentiam, quocumque malis nomine appella. Nec enim nomina, sed res nos sollicitos habent.

§. III.

Diluitur postremum argumentum §. I. propositum, atque evidentius ostenditur, sub gravi culpa concessioni edendarum carnium sacræ inediæ tempore adjiciendam esse limitationem unicæ comestionis.

XXVII. Priusquam argumento recta occurro illud clarius explico. *Scimus*, inquiunt, in utroque Diplomate BENEDICTI XIV. & præcipue in secundo unicam juberi comestionem. Hoc Lippis & tonsoribus compertum. Illud quod facessit negotium, & quod supremum adire Tribunal coegit, est, utrum hæc unica comestio *sub gravi culpa* præcipiatur? Ajebant alii, negabant cæteri, atque adeo dubia, & controversa res evasit. Porro *in casu dubio* (inquit P. Thomas Tamburinus *loc. cit.*) *an verba aliqua legis præceptum obligans importent, an consilium, tamquam REGULAM CERTAM ponunt Doctores, reputanda esse consilia, & non præcepta*. Lege integrum textum §. I. descriptum. Eamdem Doctrinam prius docuerat P. Thomas Sanchez *de Matrim Disp.*

41. *n.* 36. *Quoties dubium est, an impositum sit præceptum naturale, Divinum, vel humanum de aliqua re, non obligari dubitantem, quia donec constet de præcepto, possidet voluntatis libertas.* Et P. Antonius Terillus cum cæteris Probabilistis legem controversam, non esse legem pugnacissime defendit, *de Regul. Mor.* 1. *p. q.* 2. *n.* 45., *& p.* 2. *q.* 43. Tandem licet constet de præcepto, dubitari de obligatione potest sit ne gravis, an levis.

XXVIII. Ut ab hoc ultimo, quod est potissimum controversiæ caput, orsa capiam. Duo sunt principia unde Theologi, & Canonistæ gravem legis obligationem colligunt. Alterum legislatoris voluntas: alterum materiæ præscriptæ magnitudo. Hæc duo principia mutuo sese juvant, unumque aliud infert. Materiæ gravitas ambiguam sæpe legislatoris voluntatem, claram efficit. Et voluntas legislatoris severioribus expressa formulis, materiæ gravitatem patefacit. Disputant Theologi, valeat ne legislator in materia gravi levem imponere obligationem, aut in materia undequaque levi graviter astringere? Ajunt isti, negant illi. Verum penes omnes convenit, in materia suapte natura gravi legislatorem gravem præscribere obligationem, nisi conceptis verbis oppositum exprimat. Quoniam legislatoris voluntas respondeat rei magnitudini fas est.

XXIX. Unica refectio est omnium assensione Theologorum pars substantialis sive magis sive minus præcipua Ecclesiastici jejunii. Nemo est Catholicorum, qui vel in dubium revocet, eos lethaliter peccare, qui jejunii tempore hanc iterant comestionem. De materiæ itaque gravitate nulla remanet ambigendi ratio. Materiæ magnitudini congruere legislatoris verba constat ex utroque Diplomate. In primo *Non Ambigimus* hæc habentur. *Nolumus autem vos ignorare, cum hujusmodi necessitate & servandam esse POTISSIMUM unicam comestionem, sicut alias hic Romæ: ac nos ipsi hoc anno urgentibus causis præscripsimus . . . . Porro quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, nos persuasum habemus districtam Supremo Judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque vestrum onerandam esse ducimus.* Quibus verbis significantius gravis exprimi obligatio poterat?

XXX. Verum nil tam perspicuum, apertumque est, quod novus o-

pinan-

pinandi modus adducere in controversiam non ausit. Tot subtilia commenta adversus laudatum primum Diploma evulgata fuere, ut ad ea labefactanda secundum edere opus fuerit inscriptum *In Suprema*, in quo hæc habentur. *Hinc factum esse accepimus, quod non defuerunt, qui perhumanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes sibi, aliisque persuadeant &c.* Quibus interpretamentis indicatis, ut eadem ex hominum animis evellat, gravioribus utitur formulis. Sic enim pergit Pontifex Summus. *Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim, ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contingat, ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse aponendas, tenore præsentium declaramus, & edicimus.*

XXXI. Habemus ergo conditionem unicæ comesturæ non consilii esse, sed præcepti graviter obligantis. Neque gravis hæc obligatio nova est, sed ex ipsa jejunii Ecclesiastici justæ dispensationis natura ortum ducit. Summus Pontifex in hoc suo *Rescripto* declarat sub gravi culpa adjiciendam esse unicæ refectionis limitationem, quia ipsa materiæ gravitas, & licitæ dispensationis regulæ id exigunt. Quod evidentius confirmo. Ab integro, & amplius sæculo fervebat Theologos inter disputatio, utrum nec ne præceptum urgeret conjungendi cum carnium esu concesso ob evitandum esurialium escarum grave incommodum, unicam refectionem. Illi adfirmabant: isti negabant. Disputationis materia non erat consilium, sed præceptum graviter coarctans. Ergo Judex litem dirimens, & pro parte adfirmante sententiam rogans, non jus *novum* imponit, sed *vetus* declarat, docetque quid agere dispensatores debeant, ne legum dissipatores efficiantur.

XXXII. Quæ hactenus dixi penitus profligant ea, quæ ex PP. Tamburino, Sanchez, & aliis objecta sunt. Et cumprimis capitale illud

principium, quod præceptum, de quo Probabiliter in utramque partem Theologi controversantur, desinat esse præceptum, falsum prorsus esse evincit Præstantissimus Compostellanus, Archiepiscopus evincunt cæteri Episcopi universæ Catholicæ Ecclesiæ, qui super controversiis gravioris momenti ad Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Magistram sententiam imploraturi accedunt. Si hi autumarent, præceptum in disputationem a Theologis vocatum, non esse præceptum, profecto nullam super eodem implorarent decisionem. Verum illi in Scripturis Sanctis instructi a præfata doctrina abhorrent. Perspectum quippe habent Domini mandatum *Deuteron. cap.* 17. latum, quo omnes subditi consulere in rebus dubiis Superiorem jubentur. Et hæc doctrina communis est penes omnes graviores Theologos, ut testatur doctissimus Inclitæ Soc. JESU Theologus Franciscus Suarez *lib. 6. de leg. cap. 8. n. 10. Dicendum est de casu dubio, in quo judicari non potest probabiliter, an casus comprehendatur sub legis obligatione, nec ne. In quo sententia communis est, recurrendum esse ad Superiorem, si fieri possit; vel si non possit, servandam esse legem. Ita D. Thomas, Corradus, Cajetanus &c. Quæ sententia per se evidens est in casu patiente moram, ut consulatur Princeps. Nam si in casu tantum formidoloso, & probabili hoc fieri debet, multo magis est in casu dubio.* Authoritas solius Suarez viri gravissimi, atque pii, ut ex ejus operibus constat, prævalet centum Terillis, aliisque oppositæ sententiæ Patronis.

XXXIII. Nulla ergo ad perfugium latebra superest. Regulæ justæ dispensationis non plus relaxandum legis rigorem sinunt, quam necessitas postulat. Christianus firmæ valetudinis indigens ob piscium sive nauseam, sive penuriam, carnium esu, non eget iterato pastu. Qui ergo utrumque concedit, non fidelis dispensator, sed iniquus prævaricator; non custos, sed perditor legum est. Materia suapte natura gravis est: verba legis comperta atque luculenta. Omnia itaque concurrunt ad mortiferi criminis gravitatem manifestandam. Ergo Responsum Pontificium id tantum faciendum decernit, quod & legis, & justæ dispensationis natura necessario requirit. Siquidem tam lex, quam dispensatio bonum commune Reipublicæ Christianæ spectant. Numquid Sacræ abstinentiæ tempore bis in diem mensas opipare instruere, iterare pastus,

stus, carnesque fero, & mane comedere, Ecclesiæ Catholicæ commune bonum promovet, splendorem disciplinæ auget, pietatem ciet, fratresque ad ferendum pœnitentiæ jugum provocat? Verum de hoc mox plura.

§. IV.

Peccant mortaliter, qui dispensati in esu carnium simul cum carnibus pisces comedunt. Peccarent quoque, qui utrasque has epulas licitas & illicitas permitterent. Idque Patrum testimoniis, & rationum momentis evincitur.

XXXIV. SEcundam Postulati propositi partem examinandam suscipio. Quæstiunculam excitarunt Casuistæ Recentiores. Altum de eadem apud Patres, priscosque Theologos silentium. Non eo istorum tempore collapsa jejunii disciplina erat, ut ejusmodi opus esset disputationibus. Quoniam vero hodierna Christianorum jejunandi consuetudo adeo distat ab antiqua, ut vix veræ majorum nostrorum abstinentiæ imago appareat; heinc lata aperta via est, qua sanctiores jejunii Regulæ in sophistica discrimina revocantur, & illegitimis dispensationibus in nihilum fere rediguntur, ut amaris lacrymis deplorat ipse Regnans Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in suo primo de hoc argumento Diplomate. *Quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa jejuniorum institutione, & servata semper ubique, & ab omnibus Disciplina quam longissime distet; vos Venerabiles Fratres . . . . pro singulari sapientia vestra præ cæteris clarius intelligitis.*

XXXV. Clamant Recentiorum Theologorum plures, Patrum testimoniis haud posse præsentium temporum casus dirimi. Quod partim verum, partim falsum est, ut *cap.* 1. jam admonui. Verum est, quatenus nec antiquiorum Christianorum mores tam soluti erant, quo ea agerent, quæ nunc communi fere usu obtinent: nec Patres aut quæstiunculas movebant, ut Christianis ipsis aberrandi a vera disciplina authores forent: aut inflectere, & accomodare Christianorum moribus

evangelicam legem subtiliter contenderent. Partim falsum est, quoniam sin minus expresse, & ut ajunt in terminis, resolvunt præsentes quæstiunculas, ea tamen principia ponunt, quæ quid consentaneum, vel oppositum legi atque Disciplinæ sit, palam faciunt. Quod ut evincam, Doctrinam Patrum huc adferam, ex qua evidenter, nisi nimius me amor fallit, inferre volo, mortiferam esse corruptelam illam permiscendi esuriales escas cum carnibus.

XXXVI. Tempore SS. Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Leonis, aliorumque Patrum a pristino deferbuerat ardore exterioris pœnitentiæ consuetudo. Deliciis, & voluptatibus vel in ipsa Quadragesima fidelium plures indulgebant. At quas delicias, quas epulas damnabant Patres? Audi primum omnium magnum Parentem Augustinum *ferm. 207. alias 71.* de Diversis in Quadragesima 3. hæc scribentem. *Cavendum est, ne mutes, non minuas voluptates. Videas enim quosdam pro usitato vino inusitatos liquores exquirere, & aliorum expressione pomorum, quod ex uva sibi denegant, multo suavius compensare: cibos extra carnes multiplici varietate, ac jucunditate conquirere: & suavitates, quas alios tempore consectari pudet, huic tempori quasi opportune colligere: ut videlicet observatio Quadragesimæ, non sit veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio. Hæc, Fratres, ne vobis persuasa subrepant, quanta potestis vigilantia, providete. Parsimonia jejuniis coniungatur. Sicut ventris castiganda saturitas, ita gulæ irritamenta cavenda sunt.*

XXXVII. Similia scribit *ferm. 210. de Diverf. alias 74. cap. 8.* ubi quasi futurarum laxitatum augur, sic orditur. *Propter hominum errores, „ qui per vaniloquas seductiones, & pravas consuetudines nobis molestam pro „ vobis curam inferre non cessant, tacere non possum.* Sunt quidam obser„ vatores Quadragesimæ deliciosi potius, quam Religiosi, exquirentes „ novas suavitates magis, quam veteres concupiscentias castigantes, „ qui copiosis, pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorum„ libet obsoniorum varietates, & sapores superare contendunt, *Vasa in „ quibus cocta sunt carnes tanquam immunda formidant*, & in sua carne „ ventris, & gutturis luxuriam non formidant. Jejunant, non ut soli„ tam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam, diffe„ rendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit,

opimis

„ opimis mensis tanquam pecora præsepibus irruunt : numerosioribus „ ferculis corda obruunt, ventresque distendunt, artificiosis, & peregri- „ nis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copia compescatur, „ irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere „ non sufficiant jejunando. Sunt etiam, qui vinum ita non bibunt, ut „ aliorum expressione pomorum, *alios sibi liquores*, non salutis causa, „ sed jucunditatis exquirant: tanquam non sit quadragesima piæ humi- „ litatis observatio, sed novæ voluptatis occasio. Quanto enim hone- „ stius si stomachi infirmitas aquam potare non tolerans, vino usita- „ to, & modico sustentetur, quam quærantur vina, quæ vindemiam „ nesciunt, quæ torcularrunntia non nove, on ut potius mundior eli- „ gatur, sed ut frugalior improbetur? *Quid autem absurdius, quam tem-* „ *pore, quo caro arctius castiganda est, tantas carni suavitates procurare,* „ *ut ipsa faucium concupiscentia nolit quadragesimam præterire?* Quid in- „ convenientius, quam in diebus humilitatis, quando pauperum victus „ omnibus imitandus est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, „ *vix possit divitum patrimonia sustinere?* Cavete ista dilectissimi, cogita- „ te, quod scriptum est: *Post concupiscentias tuas non eas*. Quod saluber- „ rimum præceptum, si omni tempore observandum est, *quanto amplius* „ *his diebus, quando ita turpe est, si cupiditas nostra ad inusitatas laxetur* „ *illecebras, ut merito culpetur, qui non restrinxerit usitatas* „.

XXXVIII. Item serm. 208. alias 72. de Diversis. *Ideoque cavendum est, ne pretiosas escas, vel pro aliis alias, vel etiam pretiosiores sine carnibus animalium requiratis. Cum enim corpus castigatur, & servituti subjicitur, restringendæ sunt deliciæ, non mutandæ. Quid enim interest, in quali cibo concupiscentia immoderata culpetur? Non utique de solis carnibus, sed etiam de quibusdam pomis, & de agriculturæ alimentis Israelitarum concupiscentia divina voce damnata est. Et Esau non propter offam suillam, sed propter lenticulam defricatam sua primogenita perdidit.*

XXXIX. Antequam aliorum Patrum testimonia refero, ex hac S. Augustini doctrina hanc elicio adversus Recentiorum laxam sententiam argumentationem. Augustinus improbat vel ipsas esuriales epulas aut nimio studio conquisitas, aut exquisitiori condimentorum artificio præparatas. Illorum detestatur superstitionem, qui a carnibus abstinentes

vel ipsas, in quibus coquebantur, ollas formidabant. Interea vero esuriales escas, & majoris pretii, & difficilioris præparationis conquirebant. Quid, quod non selectiores pisces modo, sed etiam delicatiores terræ fructus improbat? Respondeant nunc velim Recentiores Leander, Diana, Tamburinus, aliique multi. Si Augustinus vel licitas escas delicatiores damnat, probaret ne hodiernas catholicorum mensas carnium pisciumque dapibus extructas? Si liquores ex domesticis terræ fructibus expressos detestatur, permitteret ne peregrinum, seu indicum potum? Verum camarinam hanc ne moveamus, ut id quod est in manibus fortius urgeam. Paucis ergo Augustini doctrinam perstringo. Jejunium nostrum eo pertinet, ut carnem comprimat, concupiscentiam cohibeat, pœnasque Divinæ justitiæ ob commissa crimina persolvat. Qui delicatioribus vescuntur epulis, tametsi esurialibus mutant, non minuunt voluptates: gulam non coercent, sed irritant: non spiritui concupiscentiam, sed concupiscentiæ spiritum subigunt. Quid refert sive carnibus, sive terræ frugibus palatum demulceas, atque irrites? Iterum ergo ad respondendum Recentiores urgeo. Si esuriales Augustinus delicias damnat, approbabit ne esuriales simul & carnales? Numquid qui minora perhorrescit, graviora laudabit scelera? In promiscuum carnium, pisciumque esum non est S. Augustinus invectus, quod tam effrenis voluptatis libido suo tempore abstinentiæ Christianæ disciplinam non invaserat. Verum quantum hæc escarum diversarum conjunctio christianorum jejunio repugnet, suis adversus exquisitiores esuriales epulas præfervidis invectivis palam facit. Evidens ergo est, atque ineluctabilis argumentatio nostra, videlicet Recentiorum opinationem de epulis licitis cum illicitis permiscendis, Augustini doctrinæ hostiliter adversari.

XL. Augustino concinunt cæteri Patres. Una est omnium hec de argumento doctrina. Hieronymus epist. ad Nepotian. *Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa jejunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam, difficultatesque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane: & dum delicias sectamur a Regno Cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum, hominumque naturam, aquam non bibere, non vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, &*

contrita

contrita olera, baccarumque succum, non calice sorbere, sed concha. Proh pudor! Non erubescimus istiusmodi ineptils, nec tædet superstitionis. Insuper etiam famam abstinentiæ in deliciis quærimus. Fortissimum jejunium est aqua, & panis. Fusius hoc argumentum versat *lib.* 2. adversus Jovinianum Lutheranorum, & Calvinistarum præcursorem. Lege M. Basilium *de ejun. hom.* 1. & 2. Ambrosium *de jejunio*, & *Elia*, Joannem Chrisostomum *hom.* 8. *in Gen.* Leonem Magnum *ser.* 41.

XLI. Audio Recentiores Casuistas inclamantes, Patres concionatoria eloquentia in noxas, vel leviores e suggestu declamasse, secus e cathedra præcisas definitasque rogasse sententias. Abstinentiæ perfectionem jejunii severitatem suaserunt illi, promoveruntque: haudquaquam vero definierunt quænam epularum permixtio mortifera sit, quænam innocens. Hæc sunt consueta effugia, quibus eludere Patrum testimonia non pauci adnituntur. Sed frustra. Non aliam Patres e suggestu, aliam e cathedris tradidere Theologiam, qua & fidei articulos, & morum præcepta fideles condocefacerent. Porro nemo non videt, quam sit inepta, ut levissime dicam, hæc illorum responsio, quam in publicum evulgare non verentur. Nobis tamen sat est Recentiores fateri, Patres Sanctos oratorio sermone permixtas dictarum epularum illecebras reprobare. Idque nec in dubium revocare queunt, cum apertissimi sint illorum textus.

XLII. Verum, ut ad incitas adversarios redigam rationum aculeis urgere eosdem juvat. Quod ut fortius præstem, sophisticis cavillationibus occurrere in antecessum operæ pretium existimio. De absoluta itaque utriusque generis epularum permixtione nobis sermo est. A materiæ parvitate a casu aliquo fortuito præscindimus. Disputationis sensus est, utrum absolute feriis esurialibus mensas extruere piscium, carniumque dapibus lethalis culpa sit. Et de hoc controversantur Recentiores nostri. His positis, manus confero. Dispensatio voluntatis Dispensatoris confinia non transilit. Porro utriusque generis epularum usum concedere Dispensator non intendit: mortiferus ergo est earumdem usus. Fallax est, inquiunt, argumentatio. Dispensator carnium esum concedit: nec pisces vetat: Porro pisces sunt natura sua licitæ jejunantium escæ. Ita ne vero? Valent ergo dispensati in esu carnium piscibus vesci, quin incommodum patiantur. Immo hoc tantum in sensu P. Leander

der a Santissimo Sacramento cum suis Probabilistis hanc opinionem defendit. *Licite poterit*, inquit, *carnes*, *& pisces simul comedere*, *si alias ex comestione piscium non proveniat comedenti aliquod damnum*. *Tract.* 5. *Disput.* 2. *q.* 29. Si res ita se habeat. Ergo, fraude summa extorta dispensatio est. Ideo enim dispensantur, quia nocumentum ex esu piscium stomacho illatum pro dispensationis causa adducitur. Nullum nunc adesse stomachi damnum asserunt. Ergo dispensatio ex falsa causa concessa nulla est. Si nulla est dispensatio, carnium comestio mortifera est. Ergo & qui concedunt, & qui utuntur facultate utrasque epulas permiscendi graviter delinquunt.

XLIII. Falleris, reponit P. Leander *loc. cit.* cum cæteris suis Recentioribus, quorum hæc sunt verba ex ipso Leandro transcripta. *Si vero ei non nocent pisces*, *non peccat*, *nec ullam legem violat*, *quia utitur suo privilegio*, *& privilegium Principis valet quando solum suæ legi derogat*, *non juri divino*, *aut naturali*. Verba transcripsi, ne imposturæ suspicioni locus sit ullus. Incredibile enim est talia obtrudi a Theologis posse. Dispensatio hæc, non gratiosum Principis privilegium, sed juris communis, & quidem gravissimi, relaxatio est. Theologi omnes fatentur, Episcopos, Parochos, Prælatos, & Superiores quosque Papa inferiores, peccare mortaliter, si absque legitima causa a lege gravissima jejunii dispensant. Quis Casuistarum vel in dubium hanc revocare doctrinam ausus fuerit? Quid ergo Principis Privilegium obtrudunt? Quid nullam violari legem clamitant? Nulla est omnino dispensatio, dum esuriales cibi nullum damnum inferunt. Ergo peccant carnes cum piscibus comedentes. Nulla hic ad effugium rima. Nam vel nulla est carnium concessio, aut si valida est carnium permissio, mortifera est piscium comestio.

XLIV. Sed oppositum P. Tamburini responsum in examen veniat. *Quod si saluti noceant pisces*, *fiet quidem contra temperantiam*, *non vero contra legem Ecclesiasticam jejunii*. Hoc responsum prius dederant Azorius Pasqualigus, & Filliucius. Quid heinc? Licita ne erit epularum permixtio, proptera quod peccatum est tantum contra temperantiam, secus contra jejunii legem? Si dixerimus ejusmodi distinctiunculis morum regulas eludi, & perverti, forte non abludemus a vero. Sermo in

præ-

præsentia est, peccent ne ii, qui sacro abstinentiæ tempore epulis utriusque generis mensa extruunt. Quod porro peccatum istud sit contra temperantiam aliquo in casu, vel contra jejunii legem, quid amabo refert, si scopus spectetur disputationis? Accedit exploratum esse etiam hoc in casu legem jejunii violari. Nam dispensator si unum concedit, alterum negat, cum nequeat utrumque extremum simul impertiri. Si concedit carnes, pisces subtrahit: si pisces permittit, carnes negat, sic exigente justæ dispensationis natura. Quid, quod ita conceptis verbis decernit Summus Pontifex in Responso ad IV. quæsitum. *Respondemus, epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse*. Quamquam, ad hoc quod attinet, longiorem contentionis funem ducere nolim; illud nobis sat est, Adversarios fateri criminosam graviter esse præfatam permixtionem. Nam, si pisces leviter nocent, dispensatio nulla est, utpote levi causa obtenta. Si grave incommodum pisces inferant, concessio carnium valida est, sed interdicti pisces remanent, quantum ad permixtionem præfatam.

XLV. Ultimum audiamus responsum. Esurialium ciborum continuus usus, inquiunt, & solus, stomachum interturbat, sanitatemquæ lædit, secus dum pisces una cum carnibus comeduntur. Hæc sunt verba P. Leandri voce aliorum Probabilistarum loquentis *loc. cit. Ad hæc addunt alii, quod pisces vere nocerent si continuo comederentur, aut si soli, quæ est justa causa ad dispensandum. Sed dum comeduntur simul cum carne, non nocent, quia caro supplet defectum nutrimenti, quod a piscibus haberi non potest. Sic Filliucius, & Pasqualigus.*

XLVI. In votis erat hoc responsum ad Ipocratis, Galeni, Plutarchi omniumque Medicorum Tribunal revocare. Omnes quippe, teste Paulo Zacchia celebri Medico Romano, docent cibum eo esse salubriorem, quo simpliciorem. Idque manifesta experientia palam est. Verum S. Doctor Hieronymus responsum istud ad arrham ipsius Epicuri advocat, ut illud refellat. Inquit ergo *lib.* 2. adversus Jovinianum: *Quidque mirandum sit, Epicurus voluptatis assertor omnes libros suos replevit oleribus, & pomis: & vilibus cibis esse vivendum, quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti cura, ac miseria præparentur, majoremque pœnam habeant in*

inqui-

inquirendo, quam voluptatem in abutendo: Corpora autem nostra cibo tantum, & potu indigere. Ubi aqua & panis sit, & cætera his similia: ibi naturæ satisfactum. Quidquid supra fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis . . . . Dicæarcus in libris antiquitatum, & descriptione Græciæ refert, sub Saturno, idest aureo sæculo, nullum comedisse carnes, sed universos vixisse frugibus, & pomis, quæ sponte terra gignebat. Persarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & sale, ac pane cibario eos victitare. Lacædemoniorum mensæ frugalitatisque & suprascriptus Xenophon, & Theoprastus, & omnes penes scriptores Græciæ testes sunt . . . . Hæc de argumentis Philosophorum, exemplisque disserui: nunc ad exordium generis humani, idest ad nostra transiens docebo, primum Adam in Paradiso accepisse præceptum.... ut jejunaret.... Et tamen ejectus non protinus accepit licentiam carnium vescendarum; sed tantum poma arborum, & fruges segetum, & herbarum olera ei traduntur in cibum.

XLVII. Plura ibidem S. Hieronymus habet, quæ brevitatis gratia prætereo. Nullus enim dubito, quin laudatum Recentiorum responsum omnibus, quibus Ecclesiasticæ disciplinæ decus cordi est, sit displiciturum. Ideone benigna Mater Ecclesia carnes in Quadragesima quibusdam concedit, ut una cum piscibus eædem ad majorem corporum voluptatem manducentur? Pisces permittuntur ad exacuendum palatum, ut juncti carnibus gulam suavius demulceant, ut Christiani lautius & opipare epulum celebrent? Huc spectat Sanctæ Matris intentio? Iste dispensationis & indulgentiæ finis? Helluonum, & Parasitorum loco habentur, qui vel extra Quadragesimam piscium carniumque epulis convivia parant. Et has blanditias, voluptates, comestationesque sacræ inediæ diebus Recentiores nostri Christianis sua mirifica & retro sæculis inaudita benignitate concedunt? Est ne in universum Patrum choro quidpiam, quod tantæ faveat benignitati?

XLVIII. Verum, ut tantæ corruptelæ contagium penitus profligetur, lubet nonnulla alia ex Patribus afferre documenta. Sicut nec canis vicino lepori; nec ignis proximæ stipulæ, ita nec gula præsentibus escis parcit. Inexplebilis enim est gulæ aviditas, & dum carnibus vescitur piscium epulas, si adfuerint, hinc atque inde ligurire solet, occasione irritan-

irritante. Quam occasionem, atque scandalum, ut tollerent Patres, constituerunt, ut qui carnes comedunt, separatim a communi domestica mensa refectionem capiant. S. Cæsarius Arelatensis sermone olim sub nomine Augustini 62. *de temp.* nunc in appendicem rejecto 142. hæc scribit. *Qui jejunare non prævalet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso sibi in domo sua præparet quod accipiat: & illos, qui sani sunt, & jejunare prævalent, ad prandium non invitet; quia si hoc fecerit, non solum Deus, sed etiam homines intelligere possunt, illum, non pro infirmitate non posse, sed pro gula jejunare non velle.* Cum solis infirmis tum in esu carnium dispensabatur. Concilium Tolosanum anno 1590. celebratum *p.* 2. *cap.* 13. *Qui carnem prohibitis diebus ex licentia comedent, soli, ne ulli scandalo sint, locoque separato comedent.* Et tandem S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi 2. *p.* 1. *Decret.* 20. hanc Regulam tradit. *Quibus ob infirmam valetudinem, aut aliam justam causam, permissum erit Quadragesimæ diebus carne, aut aliis, eo tempore, vetitis cibis vesci: eos Parochi pie illud admoneant, ne publice, neve etiam cum domesticis, sed separatim in remotiori ædium loco ejus generis cibum capiant, ut ob corporis imbecillitatem, aut morbum potius, quo laborant, quam ob ingluviem, facere cognoscantur.* Non ideo hæc testimonia retuli, quasi essent ejus, quod evincendum proposui, decretoria argumenta: sed, ut omnibus compertum fieret, antiquos Christianos carnes jejuniorum tempore comedere solitos fuisse, quemadmodum eisdem vesci ægroti solent: videlicet, non quo epularum diversitate ingluviem foverent, sed ut infirmo corpori succurrerent.

XLIX. Tandem ad communem fidelium sensum, ad sacras Christianæ prudentiæ, pietatis, & æquitatis leges, litem hanc, si opus foret, appellarem. Quid? An non perhorrescit communis Christianorum sensus tantam in Quadragesima epularum diversitatem, tantumque in conviviis luxum? Hæc ne æquitatis lex, ut ejusdem sanitatis Christiani, illi ob extortum privilegium opipare conviventur: isti esuriant, quia piscibus vescuntur? Ubi prudentiæ consilium, ubi catholicæ Disciplinæ decus, & amor? An non heinc Hæretici nostri contermini ansam Romanam calumniandi Ecclesiam arripiunt? Quin. An non tantus abusus justi scandali causam præbet & Catholicis, & paganis? Quod his

volup-

voluptatum illecebris operam dent solutioris vitæ homines, non valde communi causæ nocet, sed solos helluones propriæ professionis violatores patefacit. At quod tantam corruptelam a Theologis Catholicis adprobari hæretici audiant; hoc est, quod ipsorum effusis sibilis Romanam Ecclesiam deridendam exponit. Ne multa. Dispensationes quæque, & misericordes Ecclesiæ indulgentiæ in fidelium ædificationem, non scandalum impertiuntur. Eo pertinent, ut succurrant indigentibus, non ut foveant voluptuosos. *Novit fidelis dispensator*, inquit Bernardus, *ibi tantum usurpare dispensationem, ubi bonam possit habere compensationem*. *Infidelis est*, subdit S. Thomas, *dispensator, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignorat*. Tandem Augustinus. *Quid inconvenientius, quam in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possit divitum patrimonia sustinere*. Honestàs ipsa sacræ abstinentiæ tot epularum conjunctionem non recipit, aspernatur, repellit.

§. V.

Decretorum Synodalium Hispaniarum suffragio nostra sententia firmatur. Laxa, & festiva quorumdam Casuistarum Doctrina.

L. SYnodus Hispalensis *tit. de fer. & observat. jejun. cap. 9.* sub excommunicationis pœna permisceri epulas esuriales cum carnibus vetat, ut fatetur etiam P. Thomas Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 14. n. 6.* Hæc eadem permixtio sub anathemate vetatur in Diœcesibus Toletana, Abulensi, & aliis, ut fatentur Joannes Sanchez *in selec. Disp. 51. n. 20. & 21.* Leander a Santissimo Sacramento *tract. 5. Disp. 2. q. 30.* P. Antoninus Diana *Coord. Tom. 4. Resol. 77.* Quantum ex his Synodalibus Decretis nostræ sententiæ ponderis, & ornamenti accedat, nemo non videt. Quin & ipse Archiepiscopus Compostellanus gaudio sibi vertet, quod Diœcesanos suos, qui quæstiones super hac re excitarunt, valeat inclytæ suæ nationis exemplis & veluti domesticis documentis

mentis in ordinem redigere, & in ampla sua Diœcesi pœnitentiæ quadragesimalis cultum ferventius promovere.

LI. Sed utinam in omnibus Casuistis Hispanis idem sanioris ethices zelus, ac in ejusdem nationis Synodis arderet. Abundat dubio procul sicut in omni scientiarum genere (sit diverticuli loco dictum) ita etiam in sacra morum facultate sapientissimis viris acutissima Hispana gens. Testes hujus rei sunt Michael Elizalde, Tyrsus Gonzalez, Ignatius de Camargo, Thomas Muniessa omnes sapientissimi Jesuitæ. Polancus Minimus professione, sed sapientia, & pietate maximus. Joannes a S. Thoma Dominicanus vir sane præclarissimus, & inter Scholasticos nemini secundus, qui Christianam Doctrinam, præter ingentia volumina, edidit profunda, cœlestique sapientia refertam. Joannes Baptista de La Naza Dominicanus, qui disciplinam jejunii Patrum doctrina exornavit. Bartholomeus de Martyribus Archiepiscopus Bracharensis Ecclesiasticæ Disciplinæ instaurator. Ludovicus Ganatensis Evangelicam morum doctrinam ad portentum exposuit. Eminentissimus Cardinalis de Aguirre Benedictinus, doctissimus unaque piissimus, qui lamentari solitus erat se tradius agnovisse, Christianam Theologiam e Patrum, Conciliorumque fontibus hauriendam esse, aridis nulliusque rei speculationibus, quæ semi-Theologorum deliciæ sunt, de medio sublatis. Prætereo innumeros aliorum Ordinum præstantissimos viros de morum scientia optime meritos. Verum eadem sinceritate fatemur, præfatam Gentem suavioris etiches Casuistis redundare. Intellectus acumen, quo revera Hispani mirum in modum excellunt, occasionem puto fuisse aliquibus plus justo speculandi in morum Regulis. Petrum. Godoy Ord. Præd. Episcopum doctissimum, atque Scholasticorum acutissimum, dixisse ferunt, noluisse quidquam in morum scientia scribere, quod scholasticis certaminibus innutritus verebatur, ne omnia in disputationem revocaret. Cujus regulæ veritas penes relatores sit. Interim ego ab opportuna digressione in semitam rediens, quod proposui probare aggredior.

LII. Hispani itaque Casuistæ super laudatis Synodorum Decretis controversantur, sit ne peccatum mortale piscatum una cum carnibus manducare. Et primo ajunt, nil haberi criminis, si ad vellicandum palatum,

latum, ad exacuendum appetitum quidpiam piscium manducetur, quia hoc, inquiunt, naturæ jure permissum est. Secundo ajunt, peccare qui in præfatis Diœcesibus, in quibus lata excommunicatio est in edentes *piscatum*, & *carnes*, manducant pisces minus salubres, minusque selectos & delicatos, seu sanitati incongruos. Quid si piscium esus leve afferret saluti incommodum? Levem tum culpa patrari subdunt. Quod acriter disputant est, peccent ne illi, qui ad satietatem edunt una cum carnibus pisces *selectos*, atque *suaves*? Hoc in casu nullum admitti grave crimen propugnant. Hui tantum imposturæ? Recte & bene. Incredibile quippe est tam peregrinum commentum. Idcirco transcribo Testimonium P. Leandri a Sanctissimo Sacramento, sententiam Joannis Sanchez referentis *tract.* 5. *Disp.* 2. *q.* 30. his verbis. *Addit tamen Sancius non peccare mortaliter, nec incurrere dictam excommunicationem illum, qui dictis diebus ad excitandum appetitum, ad cibum parum piscati sumeret, quia id concessum jure naturæ, contra quod prævalere nequit positivum.* Papæ! Vellicare appetitum, exacuere palatum piscium esu, ut edacius sit ad convivandum, jus naturæ est, cui prævalere jus positivum nequit. Mirum, quod nec Ethnicorum nemo, nec vel ipsi Epicurei hoc jus exposuerint? Sed persequamur Leandri textum. *Nec illum qui pisce suavi vulgo* Trucha (italice Trota) *vesceretur, etiam sine necessitate erigendi appetitum ad cibum, & in magna quantitate, QUIA ex esu illius nec salus, nec temperantia læditur.* Hæc Sancius.

LIII. Audistin Licitum? est edere una cum carnibus pisces, dummodo sint suaves, *Trucha*, *Truta*, quia tum nec salus læditur, nec temperantia. P. Antonius Diana hanc eamdem sententiam Sanchez exponit *Tom.* 4. *tract.* 6. *Res.* 77. *n.* 4. his verbis. *Obiter inquiro, An dispensatus ad edendas carnes possit simul pisces comedere, si ab Episcopo fuerit hoc prohibitum sub pœna excommunicationis? Et affirmative respondet Sancius in select. disp.* 51. *Si causa excitandi appetitumcomedas pisces non peccabis: Quia præceptum positivum abrogare non debet quod jure naturali debetur. Neque item, si comedas pisces SUAVES, ETIAM ABSQUE CAUSA, vel in ea quantitate, quæ tuæ saluti non noceat. Quare, inquit prædictus Author, hoc præceptum violare tantum censeberis, quando pisces simul cum carnibus edes, quorum esus grave tuæ saluti nocumentum inferat.*

LIV. Pe-

LIV. Peregregie. Si cujusque culpæ expers est esus *Truta* quia suavis, actus virtutis, & quidem pœnitentiæ erit esus *Acipenseris* quia suavissimus. Dii melioria! Dum hæc legebam in mentem venit festiva altera doctrina, quæ vulgo circumfertur de potu indico. Ajunt enim, hunc suavissimum potum jejunium Ecclesiasticum haud frangere, si exquisitæ sit bonitatis: tum autem illud graviter violare, si inferioris sit qualitatis, quod corporis sanitati noceat. Tantum præjudicatæ opiniones possunt, ut per derisionem fere de jejunio disputeur. Et sunt qui invidentiæ, charitatisque læsioni vertunt, dum opiniones ejusmodi sibilandas propinari inaudiunt. Nec est quod sancte jures, non ob alium id præstari finem, quam quod via hæc aptior sit & ad confutationem, & ad fideles erroribus subtrahendos. Obstinantur illi in Casuistarum defensione, & quamvis benignissimi, nec tantillum commoventur, dum vident sanctiores Christianæ Disciplinæ Regulas, & Conciliorum Decreta deridiculariis commentis contemni, atque adeo populi Christiani salutem periclitari?

LV. Si vel ipsa luculenta, & explorata Synodorum, & Episcoporum Decreta, quæ conceptis verbis excommunicationis mucrone jugulum petunt: & commessatores piscium & carnium jejunii tempore a Christi fidelium cœtu segregant: si hæc inquam Decreta, paucis distinctiunculis, vanisque commentis nauci faciunt, collige quæso, quis sit illorum Mercurius. Quæ lex, quod præceptum vel apertissimum ab istorum interpretamentis immune erit? Decreta Synodalia sub excommunicatione epularum permixtionem vetant. Et acuti juniores respondent, hæc sacra Decreta tum habere locum, cum pisces viliores sint, minusque faucibus jucundi; secus si fuerint suaves, ut *Trucha*? Eo ergo Apostolica Episcoporum & Synodorum solicitudo pertinet, ut corporibus saginandis, faucibusque demulcendis congruas escas præscribant sub anathemate? Prohibent Episcopi & Synodi esuriales escas viliores, minusque voluptarias, quæve corpora affligant, appetitiones cohibeant, viresque, sanitatemque extenuent: minime vero suaves, delicatasque Truttas, Cyprinos, Rhombos, Acipenseres? Excommunicationis fulmine ne opus erat, ut ad tam egregia facinora erigerentur fideles? Nec solus Sanchez laudatam opinionem defendit. Ipse P. Leander, quamvis

sub initium responsionis a Sanchez recedere videatur, continuo tamen subdit. „ Dummodo id faciat sine necessitate *: & ita in magna quanti- „ tate, ut salus, & temperantia graviter lædatur : alias minime*. Ratio „ est. Quia ad incurrendam excommunicationem majorem, necessum „ est, ut quis priùs incurrat peccatum mortale : ergo, ut quis incur- „ rat excommunicationem latam contra comedentes carnes, & pisca- „ tum simul in præassignatis diebus, *necessum erit, ut ita abundanter co- „ medat, ut graviter periclitetur salus comedentis, & temperantia : & ideo „ graviter ex hoc capite peccet. Ergo si secus faciat, nec peccabit mortali- „ ter, nec incurret consequenter latam excommunicationem*. Dispendium operæ facerem si tempus tererem in commentis tam peregrinis, & a Christianæ pœnitentiæ regulis tam absonis. Quis enim Catholicorum instructione eget, aut stimulis, ut talia detestetur paradoxa?

§. VI.

CONSECTARIUM PRIMUM.

In Pontificio Rescripto jure ac merito sub gravi præcipitur secunda non permiscendarum epularum conditio. Scrupulosæ obiectiunculæ exsufflantur. Nullam jam est adversæ opinionis Probabilitas.

LVI. EX iis, quæ dicta sunt hactenus, illud evidenter colligitur, ideo Summum Pontificem feliciter Regnantem BENEDICTUM XIV. servandas præscripsisse præfatas duas conditiones, & unicæ comesturæ, & non permiscendarum epularum, quod & lex jejunii, & justæ Dispensationis regulæ easdem exigunt. Primam conditionem sub mortali & præscribendam, & servandam esse supra ostensum est. Paucis nunc palam faciam, sub gravi quoque culpa hanc posteriorem exequendam esse. Duo, ut diximus, sunt principia, unde gravis obligatio legis eruitur. Materiæ magnitudo, & voluntas Præcipientis : quæ duo sese mutuo roborantur, & alterum alterum infert. Absolute tamen mensura majoris, aut minoris obligationis & materiæ gravitas est, cui voluntas Legislatoris respondeat fas est. Epularum permixtio jeju-

nii tem-

nii tempore suapte natura gravitatem prodit. Nam omnium sententia carnium esus mortalis est, nisi dispensatio accedat. Si escæ esuriales sanitatem non lædunt, nec grave incommodum stomacho inferunt, Dispensatio nulla est, quoniam ob falsam causam extorta. Nec leve incommodum, seu levis causa sat est, ut lex gravissima jejunii relaxetur. Justa enim Dispensatio boni communis compensationem ferre secum debet, ut Bernardus, & Thomas docent. Contra si graviter corporis sanitatem piscium cibus lædit, grave peccatum patrare eum, qui præfato cibo vescitur, convenit penes omnes. Ergo evidens est, hanc quoque posteriorem conditionem sub gravi culpa a Medicis, Parochis, cæterisque Superioribus præscribendam, servandamque sub eadem culpa a Christianis esse. Hinc est, quod *hanc permixtionem* laudatæ Synodi, & Episcopi Hispaniarum excommunicationis pœnam tulerunt in eos, qui jejunii tempore ejusmodi diversas epulas permiscerent. Accedit scandalum tum Catholicorum, tum hæreticorum, quod similia convivia pariunt.

LVII. Peccabit ne peccatum grave, inquies, qui dispensatus in esu carnium aliquid esurialium escarum comedet? Tantum ne facilitatis in multiplicandis mortiferis culpis? Quid si ciborum appetitio deperdita sit? Peccabit ne mortaliter qui ad excitandam edendi cupiditatem aliquid quadragesimalis edulii sumpserit? Si adfirmes, scrupulorum aculeis vel ipsos moratos Christianos torques. Si neges, non ergo mortifera est eduliorum permixtio.

LVIII. Lemures ejusmodi sunt, & nugæ jam sub ipsius disputationis initium exsuflatæ. Morum Regulæ, quæ praxim dirigunt, plura complectuntur. In istarum executione, & observantia, æquitas, bona fides, & prudentia requiruntur. Mensas absolute, & indiscriminatim extruere licitis, interdictisque epulis, sacræ abstinentiæ diebus, crimen est. Hic enim splendidus mensarum apparatus, & tantus epularum luxus, ipso sacro tempore, quo humilitatis, pœnitentiæ, & afflictionis argumenta præbere Christiani debent, epicureæ voluptatis, impotentis gulæ, effrenis concupiscentiæ signa sunt, atque impudentem sacrarum legum contemptionem manifesto præseferunt. Cæterum, cuinam vel in mentem venit, eum, qui ob stomachi invaletudinem, carnibus approbante utroque Medico vescitur, graviter delinquere, si, ut prostratam

cibi cupiditatem recreet, quidquam esurialis escæ manducaverit? Poterit iste unam & alteram haleculam, conditas oleas, & quid edulii quadragesimalis simile absque ullo scrupulo sumere. Hoc quippe in casu edulium esuriale medicina est reparandæ ciborum cupiditati peridonea, si verum sit escarum cupiditatem prostratam esse. Si contra cibi appetitio vigeat, aut escas jejunii leviter attingis: aut copiose capessis æque, ac carnes. Si primum, levem tantum noxam contrahis ob materiæ parvitatem. Si secundum, tum inquiro: aut ea cibaria permixta vehementer valetudini incommodant, aut parum. Si primum, mortaliter peccas ut minus adversus temperantiæ præceptum, legemque valetudinis tuendæ. Si parum obsunt, mortifere peccas adversus jejunii Ecclesiastici legem, a qua minime dispensatus es ob defectum gravis causæ, sine qua dispensatio nulla est. Quis enim Prælatorum carnium edendarum facultatem impertiret illis, quos sciret absque gravi incommodo nutriri jejunii cibis posse? Porro ea non intelliguntur in dispensatione concessa, quæ expresse postulata denegarentur. Denique: Si Christiani, qui ob afflictam stomachi valetudinem vescuntur carnibus, juxta Sanctorum Patrum Regulas separatim a communi mensa soli veluti infirmi comederent; nulla esset degustandi modo has, modo illas escas occasio. Si se peccatores agnoscerent, & Divinæ Justitiæ debitores, qui nisi in hoc mundo eam, quam valent, debitorum partem solvant: nisi pœnitentia carnem configant, concupiscentiam reprimant, jugibusque precibus gratiam vitandorum criminum implorent, æternas pœnas dubio procul dabunt. Audiant tandem isti, qui maris, terræque animantibus gulam saturare suam curant, ipsius Senecæ increpationem. *Ad vos deinde transeo, quorum profunda, & insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis; alia laqueis, alia retium variis generibus, cum magno labore persequitur. Nullis animalibus, nisi ex fastidio pax. Infelices etiam, quod intelligitis vos majorem habere famem, quam ventrem. Epist. 66.*

LIX. Planum nunc est, nullius omnino esse Probabilitatis adversam Recentiorum Casuistarum opinionem. Quoniam nullo ea nititur rationis momento gravi, firmoque. Ratiunculæ, quæ olim fucum imperitis facere poterant, penitus convulsæ sunt. Nulla quoque authoritate fulcitur

citur opinio illa, cum duobus Summi Pontificis feliciter Regnantis Diplomatibus, & tandem hujus Rescripti apertissimo responso penitus in nihilum redacta sit. Laurentius Cozza Cardinalis in suo de jejunio Tomo *p.* 3. *dub.* 7. postquam Recentiorum opinioni subscripsit, addit. *Cæterum in PRAXI tutius agit ille, qui dispensatus in esu carnium se a piscibus abstinet*. Ex citatis verbis collige, Recentiorum Plures morum quæstiones versari acuminis ostentandi gratia, praxi neglecta. Prius enim abstracte disputant, quasi Morales Quæstiunculæ natura sua non spectarent praxim: & postquam semina laxitatis projecerunt, tum advertunt praxim oppositam tutiorem esse. At peractum jam malum est. Non nego tamen præfatam distinctionem interdum locum habere: in præsentia autem minime, quia nunquam comestio abstracte peragitur. Scio reposituros fore, ut alicujus probabilitatis larvam etiamnum propugnent, non esse illorum opinionem solemni ritu damnatam. Verum de hoc infra. Interim Summo Pontifici respondenti pateant.

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare quam geminis hisce adiectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum: eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi binas conditiones implendas obligari.

LX. Ultimo loco addiderim, eos, qui carnibus vescuntur ob solum esurialis edulii fastidium, non modo ad binas præfatas conditiones implendas sub culpa gravi obligari, quando concedentes easdem præscribunt; verum etiam graviter peccare si eas implere negligant, in hypothesi, qua Medici, Parochi, Episcopi apponere conditiones istas omitterent. Peccarent utique & quidem gravius dicti Superiores, qui proprii officii immemores limitare edendarum carnium concessionem binis conditionibus negligerent. At non propterea a peccato immunes essent Christiani, qui dispensatione utentes ab iterata comestura, & permixtis epulis non abstinerent. Quisque enim, quæ sui status sunt, & professionis scire, & exequi astringitur. Quid? Ignorationem ne obtrudent? An mussitabunt? Nostrum non est Superiorem potestatis confinia figere. Si indefinitam nobis dispensationem concedunt illi, nostra ne erit illam coarctare? Et quid ni? Si villicus partem dumtaxat debiti

a te Domino solvendi exigeret, liber ne iccirco tu fores a toto integroque reddendo? Quis te melius agnoscit quid evangelici jugi humeri ferre tui queant? Quisque sibi in hac materia doctior Medicus, quisque melior Theologus, si sinceritas, si bona fides, si æqui bonique lex, si denique æternæ salutis propriæ amor & desiderium animum occupaverint. Si hæc desint, frustra sunt omnia.

LXI. Quid tandem de illis Patribus familias dixerim, qui carnibus vescentes ipsi, cæteros domesticos comedere easdem carnes cogunt, iniquæ œconomiæ, & sordidæ, dixerim potius, avaritiæ prætextu? Res familiaris, inquiunt, nostra duplicem mensam non fert. Audisti hactenus, Christiane lector, gulæ lenociniis epularum permixtionem fucari. In præsens avaritiæ fraudibus epulas simplices apponendas esse inaudis. Illi, ut corpus saginent suavius carnes, & pisces una comedunt. Hi ne crumena damnum subeat, omnes domesticos simplices carnium escas manducare volunt. Qui sunt hi œconomi? Ignoras? Qui bacchanaliorum tempore in ludis, luxu, pompis, conviviis profanisque paganorum diverticulis patrimonium effundunt, prodigunt. In Quadragesima vero criminosam affectant parsimoniam, quæ Divinæ abstinentiæ legem contemnit, conculcatque. Cohibeant gulam, ambitionem, libidinem: sobrietatem in victu, & vestitu servent; & illico res familiaris ditior evadet, patrimonium læsum instaurabitur. Carnes necessitate vera cogente comedant illi, sed ut infirmi, separatim, & soli, ne aliis scandalo sint, ut S. Carolus Borromæus, aliique Patres docent.

CAPUT III.

Dispensationes hodiernæ carnium edendarum sacro Quadragesimæ tempore concessæ maxima in parte nullæ sunt ob defectum legitimæ causæ.

I. HOC est potissimum causæ caput. Opponent, de hoc in Pontificio Rescripto nec verbum occurrere. Quod verum habet, sed illud altius inculcatur in utrisque Litteris Apostolicis ad omnes Romanæ Ecclesiæ Episcopos datis. Quin Sanctissimus Pontifex in primo Diplomate

plomate *Non Ambigimus* acerbissimo dolore se tactum fatetur, quod fere obsoleverit quadragesimalis jejunii observantia ob nimiam dispensandi facilitatem. *Nos sane*, inquit, *quibus in hac sublimi Apostolicæ procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, Augustissimam quadragesimalis jejunii observantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem, plane sublatam esse: ita ut Orthodoxæ quidem Religionis cultores merito querantur.*

II. Nos fuso calamo argumentum hocce dispeximus in opere vulgari sermone scripto *La Discip lina Antica, e Moderna della Romana Chiesa intorno al Quaresimale Digiuno*. Ibi perpetuo commentario utrasque Apostolicas Litteras *Non Ambigimus*, *& in Suprema* interpretati sumus. Porro occasione exponendi præsentis Pontificii Rescripti communi utilitati opportunum atque expedientissimum fore duxi summæ necessitatis punctum versare. Quæ in laudato opere latius hoc de argumento dixi, paucis hic perstringam. Dicant morosi Critici, me actum agere: nihil moror. Communis utilitas, non istorum censuræ, me sollicitum habet. Quid quod in illorum manus liber iste incidet, ad quas fortasse non perveniet alter. Scio abusum, seu corruptelam Dispensationum adeo inveteravisse, ut exigua sit futuri profectus spes. Sed nostrum est legem Dei, & Ecclesiæ exponere, Dei pœnitentiæ spiritum infundere, & corda immutare. Rem ingrediamur.

§. I.

Rationum momenta adversus hodiernas carnium edendarum in Quadragesima concessiones. Medicorum, & Parochorum facilitas criminosa.

III. UT quisque evidentius percipiat, nullas communiter esse edendarum carnium concessiones in Quadragesima dari solitas, nonnulla in antecessum præmittam oportet. Et principio illud est præ oculis habendum, gravissimam esse jejunii Quadragesimalis legem. Hanc appellat S. Ignatius Martyr *Epist. ad Phil.* (aut quicumque sit

 istius

istius Epistolæ Author) Christi abstinentiæ similitudinem . *Quadragesimam nolite pro nihilo habere . Imitationem enim continet Domini conversationis*. Tertullianus *de Resf. car. Sacrificia Deo grata dico jejunia*. S. Basilius *or. 2. Jejunemus , ut Passionis Christi participes simus* . S. Hieronymus *Basim virtutum*. Sileo aliorum Patrum prolixiora encomia.

IV. Penitius legis istius gravitatem, atque necessitatem deprehendes, si in memoriam revocaveris ejusdem originem & principia . Ipsum naturæ jus jejunium absolute spectatum præcipit, quatenus instrumentum est peridoneum concupiscentiæ subigendæ rationis fræno , ut suse *loc. cit.* palam feci. Hanc legem in veteri , novoque Testamento Deus rogavit. Ecclesia tempus, in quo jejunandum sit, determinat, ut in Quadragesima, in quatuor anni temporibus. Cæterum jejunium in communi ipso naturæ jure præscriptum est , ut cum S. Thoma docent Theologi. Heinc est , quod majores nostri , nisi infirmos , & quidem graviter, ab esurialibus escis eximebant in Quadragesima. Quid, quod Ecclesia Græca nec ipsis graviter ægrotantibus carnium esum permitebat? Balsamon Patriarcha Antiochenus in Responsis ad Patriarcham Alexandrinum hæc scribit. *Carnes enim, vel caseum , aut ovum attingere non fuerit concessum , licet extremam efflet animam, neque in magna Quadragesima, neque in qualicumque Mercurii , vel Veneris die. Sufficit enim ei, qui necessario per ariderum esum magnificare debet dies Mercurii vel Veneris , per oleum , vel pisces morbi acerbitatem mitigare*. Quem disciplinæ rigorem obtinuisse anno 1336. narrat Mathæus Balastarus Canonista Græcus . Disciplina Ecclesiæ Occidentalis mitior. Nonnisi tamen in gravi , evidentique infirmitate carnium esum permisit Quadragesimalis jejunii tempore. Opportuna sunt Concilii Toletani VIII. verba. Can .9. *Quisquis absque inevitabili necessitate , atque fragilitatis evidenti languore , seu etiam ætatis impossibilitate , esum carnium diebus Quadragesimæ præsumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ , verum etiam alienus ab ejusdem sancta communione*.

V. Prima ergo permittendarum carnium jejunii tempore ratio , est corporis sanitas , a gravi nocumento , quod cibi esuriales inferre queunt , præservanda . Sed distinguenda est corporis sanitas ab ejusdem conflictatione, atque concupiscentiæ refrænatione. Cibi esuriales eo pertinent,

tinent, ut reapse cupiditatum vim extenuent, humores evacuent, corpus torqueant, ipsasque vires carnales moderate ad tempus debilitent, ut inde tamen firmior tum corporis, tum animæ valetudo succedat. Nonne medica purgatio corporis vires extenuat, ut reparet? Præfata incommoda, quæ sunt proximi jejuniorum fructus, opponunt voluptarii Christiani, ut sanitatis hostes. Hæc ut evitent, dispensationem impetrant. Quod perinde est, ac si dicerent: Quia jejunium gulæ non arridet, carnium postulamus concessionem. Necessitas ergo aut expellendi morbi, aut præservandæ sanitatis a probabili futuro incomodo, unica est ab escis esurialibus dispensandi ratio.

VI. Et ne opponere valeant Theologorum non esse judicium ferre de corporum sanitate, lubet insignium Medicorum auctoritate, quæ indicavimus, confirmare. Perdoctus Paulus Zacchia *lib. 5. tit. 1. q 5. Non quilibet morbus legitime a jejunio excusare potest. Neque etiam idem morbus, qui ab una obligatione solvit, ab omnibus solvere potest.* Quin addit non omne sanitatis incommodum ab ipso jejunio derivatum sufficiens esse dispensandi momentum. *Ante omnia*, pergit ibidem, *admonendum primo: non omne sanitatis incommodum a jejunio proveniens, illico hominem a jejunio excusat: Nam vix dici potest jejunare, qui ex jejunio nullum perceperit corporis incommodum: Idcirco enim jejunium definitur maceratio, seu afflictio corporis.* Heinc Medicos admonet, nec continuo a jejunio dispensent ob quodlibet incommodum. Quædam edulia esurialia sanitati obsunt, secus alia. Non illico carnes concedant, sed jejunii cibos quærant salubres. *Ex quibus discant tam Medici, quam eorum consultores, non esse petendam absolutionem a jejunii obligatione, illico, atque læsum quis se sentiat a jejunio; sed potius quærendum, an aliqua ratio jejunandi sit, quæ sit magis salubris, quam præterita. Sunt enim qui ab aliquo cibo particulari in jejuniis consueto noxam percipiunt: hi si hunc abusum omiserint, jejunium de cætero commodissime servare possunt. ibid.* Tandem concludit summo studio invigilandum Medicis esse, ne a voluptariis Christianis illudantur. Recogitent serio varios esse morbos, quorum unus carnes, alius lacticinia, alius plures comestiones, servato ciborum delectu, alius omnia simul postulat. *Videant ergo Medici, ac rigorose insistentes examinent, an aliquid simile irrepere possit in his, qui jeju-*

nare

nare obligati, ab ea obligatione se eximere student hujusmodi illegitimis excusationibus . . . . Non enim quivis morbus a quavis jejunii conditione excusare debet indifferenter : sed aliter quidem ab esu carnium : aliter ab esu tantum ovorum, non carnium : aliter ab unitate comestionis, aliter ab hora refectionis, aliter ab omnibus simul immunem reddere hominem potest. ibidem.

VII. Alter non minus celebris Medicinæ professor Condronchius Hispanus in sua *de Christ. medend. rat.* apud Hecquet *p. 1. c. 32.* præfactam doctrinam confirmat. *Medicus perperam, & inique agit, cum se valetudinario, & morboso, vel debili, qui se ovis, & lactariis cibis tueri facile potest, esum carnis etiam concedit, maxime in Quadragesima.* Similia docet laudatus Hecquet, & Theologus Pasmans prævaricationis damnat tum concedentes, tum utentes manducandarum carnium facultate falsis prætextibus extorta. *Prævaricantur quam plures, qui ex præpostera valetudinis cura esum piscium sibi officere illico causantur : & ideo ad abstinendum carnibus se non obstringi dicunt: prævaricantur inquam, etsi Medicos consulant, a quibus schedulas, quibus impetrant facultatem edendi ova aut carnes, obtinent, vel saltem extorquent. Neque a violati jejunii peccato immunes sunt ejusmodi Medici, qui indulgentius, quam par est, agunt cum multis; v. g. Nobilibus. De Jejun. Thes. 5.*

VIII. Duo hinc colligas velim. Alterum, Dispensationem non egredi necessitatis confinia. Quemadmodum nulla est, si absque gravi, & manifesta causa ab universa jejunii lege dispensat: ita nulla est, si carnes impertit, quando solis lacticiniis, vel si lacticinia concedit, quod solis eduliis jejunii subveniri Christianorum incommodis valet. Alterum, nullas communiter esse maxima in parte hodiernas a quadragesimali abstinentia dispensationes. Vix quatuor in centum eorum, qui dispensantur ob fastidium edulli esurialis, vera necessitate premuntur. Norunt hoc Medici, sed causantur fraudes Christianorum, qui exaggerant incommoda, falsosque prætextus allegant. Norunt Confessarii, & Parochi, sed reponunt, se attestationibus Medicorum niti. Et Christiani opipare edunt utriusque Medici suffragiis muniti. Omnes plus, minusve prævaricantur, & vicissim variis ducti respectibus ad peccandum se se incitant, urgentque.

IX. Ex-

IX. Experientiam consulamus. Qui sunt, qui facultatem carnium edendarum in Quadragesima obtinent? Divites, Nobiles, formosuli, & thorosuli, qui toto anno sani sunt, & potissimum bacchanaliorum tempore, qui diu, noctuque nil intentatum negligunt, nullumque non movent lapidem, ut sanitatem lædant, prodigant. Quadragesima recurrente ad omnia sani sunt: solum ad jejunandum infirmi. Ex tanta piscium diversitate nihil occurrit illorum stomacho consentaneum. Fac pisces omnes etiam delicatos, etiam saluberrimos tibi esse infestos: nonne præsto sunt pulmenta plurima, & innumera herbarum, fructuumque genera? Sint quoque ista omnia minus congrua: an non abundant lacticinia, ex quibus tot selectæ, suavesque epulæ compinguntur? Escis ex puro, putoque lacte coagmentatis vivunt plures menses homines delicatissimi, & valetudinarii, qui morbo ethico obnoxii sunt. Et ut a mortifera scelerum infirmitate convalescant, nihil tot escarum illorum stomacho opportunum est, nihil salubre? Quis ratione præditus tantum adfirmaverit paradoxum? Ergo, experientia teste, nullæ communiter sunt facultates edendi carnes in Quadragesima, ob solam edulii esurialis fastidium concessæ.

X. Nec communiter Medicorum, aut Parochorum excusationes consistunt. Quoniam, aut ignorant Medici statum Christianorum, qui schedulas testimoniales petunt, aut secus. Si primum peccant, quod testimonio jurato adfirment morbum, de quo minime sibi constat. Si secundum, certius peccant. Falleris, inquiunt: nostrum est valetudinariorum incommoda audire, & juxta Professionis regulas judicium ferre. Si falsum narrant, ipsi viderint: Vah turpem illusionem. Cœci isti sunt in Meridie. An non vident, manibusque tangunt, sanos, robustosque esse homines, qui carnes vescendas petunt? An ignorant, pisces plurimos ipsis carnibus salubriores esse, ut mox palam faciam? Ineptiora sunt Parochorum effugia. Hi quippe sunt, & dispensatores, & consultores. *De utriusque Medici consilio*. Si fidere Medicorum attestationibus Parochi omnino deberent, frustranea esset dictæ clausula *de utriusque Medici consilio*. Pastorum potissimum interest internoscere oves suas, earumque statum. Ignorare istarum indigentiam grave crimen Ministerii proprii est. Si ergo sanos noverint Parochianos, qua con-

scientia

ſcientia illis carnium eſum permittunt? Odium, inquis, invidiam, perſecutionemque ſubirem extremam, ſi habito Medicorum teſtimonio, diſpenſationem negarem. Numquid tantum calamitatis & indignationis ipſe mihi parabo? Tantos adverſarios in me ipſe concitabo? Hæ voces, non Paſtorum, ſed mercenariorum. In hos invehitur Dominus per Jerem. *c.* 10. *Stulte egerunt Paſtores . . . . Propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt*. Item *cap.* 50. *Paſtores eorum ſeduxerunt eos*. Item per Ezechielem *cap.* 34. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos*. Et per Iſaiam. *cap.* 56. *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia . . . . Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam*. Qui tanto pectore non ſunt inſtructi, quo & odium, & perſecutiones tolerare, & gregem ab urſis, & lupis defendere non audent, ovium regimen non ſuſcipiant.

XI. Pater Michael Elizalde Soc. J. Hiſpanorum Theologorum Sapientiſſimus in ſuo opere *de Reg. Mor.* 2. *p. lib.* 6. *q.* 17. §. 11. docet in hoc negotio potiores partes Parochi eſſe; Salus quippe animæ excellentior eſt corporis ſanitate. „ Duæ ergo ſcientiæ, cognitioneſque in „ utroque Medico deſiderantur: alia corporis, alia animæ. Hanc jure „ ſupponit Eccleſia in Parocho. Nam bonus Paſtor, & qui Mercenarius non eſt, cognoſcit oves ſuas, & ob hoc ejus licentiam requirit. „ Quare licentia iſta non eſt clavis gravis poteſtatis, ſed clavis ſcientiæ ſaltem principalius. Nec item pendet a ſola ſcientia, cognitioneque Medici corporis: cum in hac re ſolum ſit Parochi, ſcilicet videre quid Medicus corporis exiſtimaverit, & ſubſcribere ejus dicto. „ Tractatur itaque de duplici ſalute, corporis quippe, & animæ: & ideo utriuſque Medici judicium requiritur; & potior eſt Medicus animæ: & ſi huic unum, alterum illi videretur: & invaletudo corporis aliqua peteret, Petrum non jejunare, ſed lætari, & epulari: „ multitudo autem peccatorum ejus magnam pœnitentiam poſtularet: „ item ſi in concupiſcentiis totus arderet, & in magno eſſet periculo; „ poſtponi corpus debet & Medicus ejus, & Medico animæ ſtandum „ eſt, & jejunandum, & corpus affligendum, & caſtigandum, quouſque in debitam ſervitutem redigatur: nec animas noſtras, ideſt vitam

„ noſ-

„ nostram, pretiosiorem facere debemus, quam nos, idest quam salu-
„ tem animæ nostræ, idest nostram. "

XII. Ob oculos ergo Medici, & Parochi sibi proponant, Sanctam Matrem Ecclesiam non eo instituisse jejunia, ut homines efficeret illo ipso, quo jejunant, tempore, robustiores, formosiores, vegetioresque, sed ut affligeret animas, concupiscentiam cohiberet, carnem comprimeret. Recogitent se tot criminum reos constituere, quot homines a delectu ciborum, absque gravi, & legitima causa, absolvunt. Scandalum serio meditentur, quod illegitimis dispensationibus pariunt. Sciant non alio validiori frœno indomitam concupiscentiam subigi, quam moderata cibi subtractione. Contra vero: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo*: *Deut.* 32. Quæso altius animo imprimant, duo esse vitiorum genera, quæ homines ad inferna detrudunt. Concupiscentia carnis, & divitiarum. De hac alibi: de illa nunc. Quænam itaque effrenis concupiscentiæ immanisque luxuriæ efficacior causa, validiusque fomentum, nisi gula, nisi saturitas? Clamat Dominus per Jerem. *c.* 5. *Saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equì amatores & emissarii facti sunt. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*. Inclamat Propheta Ezechiel. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, satietas panis, & abundantia*. Plenæ sunt Scripturæ sanctæ similibus testimoniis. Patres sancti volumina hoc de argumento scripserunt. Unum S. Augustini textum apprime opportunum dumtaxat huc transcribo ex *serm.* 2. *Dom.* 1. *in Quadrag. Moyses ergo quia jejunavit, Deum vidit: Populus quia manducavit, idola fabricatus est. Sed quid de Moyse & multitudine Israelitica loquar? Princeps ille humani generis Adam quandiu jejunavit, in Paradiso fuit; ubi vero comedit, ejectus est de Paradiso. Et qui in Paradiso Dei virgo fuerat, ejectus de Paradiso cognovit uxorem. Semper enim juncta est saturitati lascivia. Vicina sibi sunt venter, & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur. Ejecit ergo nos de Paradiso cibus, reducat esuries, reducat jejunium*. Sed missis Scripturis, & Patribus; qui sunt, qui communiter quadragesimalis abstinentiæ legem violant? Nonne fornicatores, luxuriosi, voluptarii, & impudentiores peccatores? Porro isti præ omnibus pœnitentiæ corporalis, & severioris abstinentiæ fræno

atque

atque jejunii medicamine magnopere indigent. Ergo Medici, & Parochi non modo proprii ministerii prævaricatores fiunt, dum illegitimas dispensationes impertiunt, non modo in Ecclesiæ leges peccant: sed crudelitatis & inhumanitatis fontes evadunt, dum videntes fratres suos incendio concupiscentiæ, & pice sulphureque luxuriæ ardere, exuri, non aquam porrigunt, ut ignem extinguant, sed adipem &, pinguedinem aspergunt, ut crudelius, & immanius ardeant, æternumque pereant.

§. II.

Christianorum præjudicia & effugia. Edulia esurialia non sunt noxia, sed consentanea sanitati.

XIII. PRimum *præjudicium*, quod mente Christianorum occupat, est immoderata & effrenis hujus vitæ cupido, quæ carnis macerationem, & concuprifcentiæ efrænationem tamquam sanitatis hostes effingit. Quare Seneca ipse scribit *epis.* 101. *Excutienda vitæ cupido est, discendumque nihil interesse, quando patiaris, quod quandoque patiendum est. Quam bene vivas referre, non quamdiu: sæpe autem in hoc esse bene, non diu.* Vanus amittendæ sanitatis amor, omnium in hac causa malorum origo est. Heinc deliciæ, & ventris idololatria. *Hujuscemodi enim* (inquit Paulus ad Rom. 16.) *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Isti aperti hostes sunt Evangelii Christi, & Crucis, subdit idem Apostolus ad *Philip.* 3. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Viridis coloribus hos depingit Tertullianus *lib. de jejunio. cap.* 16. & 17. ubi Christianos istos Ethnicis pejores asserit. *Ethnicus idolo gulam mactat: Tu Deo non vis. Deus enim tibi venter est: & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos cocus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta Charismata, & metus Prophetia .... Apud te Agape in cacabis fervet, Fides in culinis calet, Spes in ferculis jacet.*

XIV. Nimium itaque tuendæ sanitatis studium eo homines malorum præcipites agit, ut perpetuis blanditiis, atque illecebris carnem nu-

triant:

triant: & unde longiorem sibi parare vitam homines credunt, breviorem efficiunt. Istius porro generis homines Evangelicum jugum omnino excutiunt, nihilque ipsis penosius est pœnitentia, abstinentia, carnisque maceratione. Quare extra viam salutis perpetuo ambulant, & propriæ conversioni, & saluti januam sibi claudunt. Quæ enim ad amicitiam redintegrandam cum Deo viam parant, sunt fletus, maceratio corporis, jejunia, & ab illecebris, blanditiisque abstinentia. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & in fletu, & in planctu. Joel.* 2.

XV. *Alterum Præjudicium* est, esuriales escas corporis sanitati atque adeo longiori vitæ infestas esse. Quod erroneum præjudicium promovere studuerunt Leonardus Fuschius, & Janus Cornarius Catholicæ Religionis desertores. Istorum futilia commenta penitus labefactarunt non Theologi modo, sed Medici Catholici, quos inter Paulus Zacchias *lib.* 5. *tit. q.* 2. ubi & hæreticos & catholicos quosdam Medicos, in Epicuro potius, quam in Hypocrate, & Galeno versatos refellit, carpitque. *Hæc*, inquit, *& alia, quæ impia, ac temeraria procacitas effutire docet contra jejunia, nonnulli Medici, aliique Hæretici objiciunt, vel objicere possent: Quæ tamen cum omnia, ac singula, vana, futilia, insulsa, ac ab omni veritate sint alienissima, firmanda hæc conclusio est: ieiunium & animæ & corpori esse proficuum & salutare.* Sanguinem purum, defœcatum, mediumque, crassum inter, & subtilem piscium esum progignere Galenus testatur *lib. de suc. bon. cap.* 9. *Piscium universorum propemodum succus bonus est.* Maritimos potissimum pisces præfert, & ex illis eos, qui pinguedine carent, squamisque teguntur. *Culpa enim prope omni vacant, quicumque in mari versantur, pelagii, saxatiles: tales igitur sumpsisse perpetuo tutissimum fuerit.* Non minus salubres ejus pisces asserit, ac aves. *Aves autem, & boni ferme omness pisce succi censentur.* Heinc Galenus infert piscium esum non modo esse facilis digestionis, sed corporibus saluberrimum. *Alimentum, quod ex saxatilibus sumitur, non modo ad coquendam est facile, sed hominum etiam corporibus saluberrimum, ut quod sanguinem medium generat . . . . sanguinem laudatissimum progignit. De anim. facul. cap.* 26. *&* 28. *apud cit Zacch.* Animadvertit laudatus Zacchias, & antiquos celebrioresque Medicos pisci-

post ipsum Hecquet,

bus,

bus, non carnibus aluisse ægrotos. Quam ob rem hodiernos Medicos vellicat Cardanus, quod infirmos suos carnibus alant. Nec aliam excusationem *Zacchias* allegat, nisi pusillum animum. *Cur vero nos pisces nostris ægrotis interdicamus, dictu difficile est, nisi confiteamur nos in multis esse antiquioribus timidiores. lib. 5. tit. 1. q. 2.* Terrestria animantia contagio, morbisque gravissimis obnoxia sunt, secus pisces. Ex quo ortum est proverbium illud: *Saniores pisce*. Qua re in hodiernos Medicos his verbis Zacchias invehitur. *Quid tantopere carnes in cibis suis verbis extollunt carnivori isti recentiores Medici? loc. cit.* Legant isti Plutarchum Ethnicorum doctissimum *lib. de tuend. valet*. Legant Lancisium nostrum pariter doctissimum de mortibus subitaneis, adversus quas efficacius remedium sobrietate, & parsimonia haud potuit reperire.

XVI. Sed Medicis missis, quorum tamen in hac causa judicium magnæ est authoritatis, pauca ex sacra Theologia promam. Et primum Quadragesimalem abstinentiam Ecclesiæ suæ organo Deus præcipit. Qui hanc supra vires effutiunt esse, vel sanitati incommodam, in Deum ipsum blasphemant. Ignorat ne ille, quid ferre hominum humeri valeant? An ne tyrannidis, & crudelitatis arguendus, quod impossibilia jubeat? Catholicorum nemo tam perverse de Deo sentit. Legem jejunii pleno ventre plures exaltant, sed opere & legem, & Deum contemnunt. Illis molestum jejunium est, qui in vitiorum cœno voluntantur, qui gulæ & concupiscentiæ mancipia sunt, quique voluptatis lue inquinati gustare sacræ inediæ saporem nequeunt. Cæterum Quadragesimale jejunium, non modo jugum est hominum viribus consentaneum, sed instaurandæ prostratæ sanitatis pharmacum est. Moderata fame, sitique, lautiorisque victus subtractione palatum exasperatur, caro torquetur, appetitiones reprimuntur. Sed sobrietas hæc, & maceratio & sanitatem quam invenit firmat, & deperditam instaurat. *In multis enim escis erit infirmitas*, inquit Salomon *Eccl. c. 37.* Addit ibidem. *Propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam.* Item cap. 31. *Sanitas est animæ & corporis sobrius potus*. His effatis plenus est liber Ecclesiastici. Quare Ecclesia canit in publicis precibus. *Adesto Domine supplicationibus nostris, & concede, ut hoc solemne jejunium, quod animabus, corporibusque curandis salubriter institutum est*,

devoto

devoto servitio celebremus. Quid si Patrum testimonia afferre vellem? Pauca cursim delibabo. Pronuntiatum Ambrosii omnium animis insculptum vellem. Neminem vere sobrium, jejunatoremque apoplesiæ ictu correptum asserit *lib. de Elia & jejun. cap. 8. Jejunium est infirmitatis levamen, alimentum salutis. Nemo in cruditatem jejunando incidit. Nullus per continentiam ICTUM sanguinis sensit*. S. Basilius omnium Græcorum Patrum, ut ego quidem arbitror, eloquentissimus, tanta argumentorum copia hanc veritatem evincit, ut omnes gulæ advocati obmutescant necessum est. Pauca transcribo ex *homil. 1. de jejunio. Ne causeris corporis infirmam valetudinem. Ne dixeris jejunium, te ferre non posse. Neque enim mihi istas excusationes profers. Sed juxta proverbium scienti loqueris, nimirum Deo, quem nihil fugit. Age dic mihi: jejunare non potes: & potes expleri eduliis? Potes conficere corpus escarum pondere? Atqui infirmis non variam ciborum copiam, sed inediam, & abstinentiam a Medicis solere præscribi scio. Qui fit igitur, ut cum ista possis, illa te non posse causeris? Utrum ventri facilius est tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum gravatum jacere? Immo nec jacere quidem, sed crebro huc, & huc verti distentum, ac gementem. Nisi forte simul dicturus es illud, quod Naucleri facilius servant Navim sarcinis onustam, quam eam, quæ ad cursum expedita est ac levis: nam oneris magnitudine gravatam, quamvis exiguus fluctus adoriens demergit. Contra, quæ modicis sarcinis temperata est, facile suffert undarum impetum: eo quod nulla res impediat eam, quominus fluctum in altum surgentem superet. Eumdem in modum & hominum corpora assidua expletione degravata facile a morbis demerguntur. Cæterum, quæ facili, levique utuntur alimonia, non modo malum, quod ab imminente morbo expectabatur, veluti tempestatis assaltum, effugiunt: verum etiam præsentem iam ægritudinem veluti turbinem quemdam exorientem discutiunt*. Lege Joannem Chrysostomum *Ser. 4. in cap. jejun.* Hieronymum *lib. 2.* adversus Jovinianum, cæterosque omnes.

XVII. *Tertium præjudicium* est, ea, quæ hactenus produximus momenta, id dumtaxat evincere, opportuna jejunia fuisse priscæ ætatis hominibus robustioribus, longiorisque vitæ. Imbecillior nunc natura est, vitaque brevior. Quamobrem Antiquorum abstinentiam, severaque jejunia ferre hodierni homines nequeunt. Quid ergo vetusta priorum sæ-

culorum monumenta produntur, ut hujus miseræ ætatis homines jejuniorum severitate opprimantur? Stultitiæ arguit Salomon opinationem hanc. *Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt. Stulta est enim ejusmodi interrogatio? Eccles.* 7. Et sane antiquitatis crassam produnt ignorantiam illi, qui autumant, arctiora nunc esse humanæ vitæ confinia, quam fuerint tempore, quo Christus ipse quadragesimalis jejunii exemplum posuit. Livius mortem M. Tullii narrans, hæc scribit. *Vixit tres & sexaginta annos, ut si vis absfuisset, ne immatura quidem mors videri possit*. Imperator Augustus longiorem omnium aliorum Cæsarum vitam protraxit. Vixit quippe 76. annos. Quænam illius epulæ? Audi Svetonium in ejus vita. *Cibi minimi erat, atque vulgaris fere, secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum, manu pressum, & ficus virides, biferas maxime appetebat, vescebaturque, vini quoque natura parcissimus erat*. Sed Senecam audiamus, qui brevi sermone plura comprehendit, quæ pudore persundere Christianos, eosque veluti ex amentiæ somno excitare deberent. *Audies plerosque dicentes: a quinquagesimo in otium secedam. Sexagesimus annus ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pudet, te ad reliquias vitæ, te tibi reservare, & id solum tempus bonæ mentis destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est, tunc vivere incipere, cum desinendum est. Quæ tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum, & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?*

XVIII. Verum quid prisca quæritamus, si quæ ob oculos sint patefaciunt, nos neque in longitudine vitæ, neque in ferenda severiore abstinentia, inediaque, antiquis esse inferiores. Conferatur vita agricolarum, servorum, operariorum, nautarum, militum, cum priscorum laboribus, & conatibus. Severissima erat primæ ætatis aureæ Christianorum Disciplina. Cibus parcus, & vilis, severa jejunia, juges preces, aspera cilicia. At numquid mitior est tot sacrorum Ordinum Disciplina? Numquid tot Congregationum Benedictinorum, Camaldulensium, Carthusianorum, Trapensium, aliorumque innumerabilium Monachorum jejunia, abstinentiæ, vigiliæ nocturnæ, diurnæque, non æquant antiquorum mores? Quid de immensa Sanctissimi Patriarchæ Francisci

solobe

sobole dicam? An lautior victus, mollior lectus, splendidior vestitus Cappucinorum, Reformatorum, Alcantarinorum, aliorumque florentis Disciplinæ Institutorum, quam fuerit victus, vestitus, lectus primorum fidelium? Ubi vero provectior senectus, ubi firmior sanitas, ubi robustiores vires, quam in his sacris Cœnobiis? Ubi tot septuagenarii, octogenarii, & nonagenarii? Desinant ergo gulæ, & voluptatis vindices vitæ brevitatem viriumque imbecillitatem obtrudere, ut se a sacro Quadragesimali jejunio eximant. Desinant in populo Dei scandala serere, & sanctissimis Ecclesiæ præceptis invidiam conflare, ut heinc excusandæ propriæ gulæ, & voluptatis prætextus captent.

§. III.

Medicorum schedæ, Parochorum dispensationes communiter a culpa non eximunt dispensatos.

XIX. NObilior Christianorum pars sub initium Quadragesimæ ab utroque Medico facultatem comedendi carnes postulat. Qua concessione obtenta, non minus se securos in conscientia reputant, ac illi, qui diploma a Principe impetrant non solvendi tributa. Theologi Medicos, Medici Casuistas arguunt nimiæ facilitatis in eximendis a lege fidelibus. Sacri Canones adversus Medicos *dist. 5. can. contraria* hæc habent. *Contraria studiose sunt Divinæ cognitioni præcepta Medicinæ A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque, qui se Medicis dederit, seipsum sibi abnegat.* Hoc idem adfirmat S. Ambrosius. *Contra Divinæ conditionis præcepta sunt ea medicinæ, quæ a jejunio revocant: in Psalm.* Ex Theologis celebris Theophilus Raynaudus *tom. 10. in sua Ros. Med.* collapsæ Quadragesimalis observantiæ Medicos accusat. *Certum est, sanctum per Quadragesimam abstinendi, ac jejunandi usum, non aliunde magis evigiusse in Ecclesia, quam ex laxitate per Medicos inducta: sive quod minus digne de hac praxi catholica sentirent, sive quod abblandientes iis, qui suam ignaviam TECTORIO necessitatis obducebant, per humanæ gratiæ cum Divina se collidentes captationem; & ob corporis statum optimum, quem Medici propositum ha-*

 bent,

bent, animam negligentes: parvi fecerunt legum sacrarum severitatem. Theologis concinunt Alphonsus de Fontechio, Baptista Condronchius, aliique celebriores Medicinæ artis Professores. Duo Medicorum genera distinguit perdoctus Paulus Zacchias. Alterum illorum, qui & suæ artis, & legis Christianæ æque ignari, minus salubria jejunia reputant. Alterum eorum, qui nomen sibi, & famam, & lucra, & patrocinia captare student. Lege Zacchiam laudatum *lib. 5. tit. 1. q. 2. n. 1.* Celebris Medicus *Hecquet* in suo Opere *de Dispensationibus* in disputationem vertit, utrum faciliores *Casuistis* Medici fuerint in laxanda jejunii lege. Contendit ille, severius de jejunio scripsisse Medicos, quam Casuistas, hosque laxiores dispensandi regulas præscripsisse. Dirimere in præsens hoc problema nolim, at quod proposui continuo manifestem.

XX. Compertum itaque est, utriusque facultatis Professores non paucos reperiri, qui nulla legitima causa a jejunii lege dispensent. Quot sunt divitum, & nobilium Christianorum, qui in Quadragesima a carnibus abstineant? Nonne, ut cautissime loquar, major altioris conditionis hominum portio carnibus vescitur? Per quindecim & amplius integra Christianæ Religionis sæcula, solis ægrotis, quorum infirmitas gravis esset, & evidens, carnium esus concessus. Nullibi legitur, ob solam escarum esurialium nauseam, & fastidium, laxatam fuisse abstinentiæ legem. A duobus circiter sæculis, postquam novus opinandi modus sacram invasit Theologiam, obtinere abusus cœpit dispensandi fideles in esu carnium ob solum piscium, oleique fastidium, seu ob nocumentum, quod inde proficisci superstitiose pavent. Corruptela istæc adeo inveteravit, ut Christiani divites, nobilesque, quasi dedecori sibi vertant a carnibus abstinentiam. Mirantur, obstupescunt, si videant prænobiles, divitesque solo sacro edulio vesci. Et tamen hi omnes sani sunt, & robusti ad forum, ad negotia, ad lites, ad ludos, ad omnia vitæ civilis munia. Porro vix istorum est, qui utriusque Medici consilio, & dispensatione carnes non comedat. Quis autem dixerit, hos omnes legitime dispensatos? Quis dixerit hos non esse legis Ecclesiasticæ vinculo devinctos? Evidens ergo est, Medicorum, & Parochorum dispensationes plurimas nullas esse.

XXI. Quam nunc excusationem dispensati, & dispensatores obtrudent?

dent? An ignorant ipsi corruptelam hanc? An manibus abusum non tangunt? An oculis non vident, non aliud communiter pro dispensatione exigi, quam quod postuletur. Opportuna sunt verba sapientissimi P. Michaelis Elizalde Soc. J. 2. p. lib. 6. q. 17. §. 11. „ Quicumque enim quærat, utrum ad jejunium teneatur, & an ab esu carnis „ abstinere debeat; ferme semper ab obligatione liberatur, & tot fer- „ me sunt opiniones excusandi, quot rationes dubitandi. Satis notæ „ vulgaresque sunt opiniones, quas proinde referre, supervacaneum „ sit; & alios propter nocumentum salutis liberando, pauciores, mi- „ serioresque quidam sub obligatione relinquuntur.... illud mirum est, „ quod nihil promptius habent & magis in ore, *quam peccatum morta-* „ *le*, consilium petenti in his, & similibus sæpe respondentes, ipsum „ non solum non teneri jejunare, sed peccaturum mortaliter, si jeju- „ net. Imo adeo a recto distamus, ut homines etiam professione Theo- „ logi non vereantur aliquando dicere.... Medicum sibi dixisse, pec- „ caturum se mortaliter, si jejunet, aut carne non vescatur. Et quid, „ rogo, non dicat similiter æger, Theologum sibi dixisse, moriturum „ se, nisi venam scindat? Haud enim opinor Hypocrates, & Galenus „ de peccato mortali magis tractarunt, quam Apostoli nostri de scissio- „ ne venarum. Atque hæc tria citra aliam impugnationem demon- „ strant, quo in loco sint, & qualiter tractentur res conscientiæ, ac „ morum altissima, profundissimaque scientia". Heinc concludit, magno in errore eos versari, qui sibi non peccare blandiuntur, quod utriusque Medici suffragio carnes manducent. *Quod vero multi causent, se habita licentia utriusque Medici, peccare non posse, falsissimum est, ut supra de Magistris ostensum est: & uterque Medicus peccare potest, & etiam qui sequitur. loc. cit.*

XXII. Celebris Theophilus Raynaudus prolixa, & acri oratione primum in Medicos, qui nimia facilitate carnium esum concedunt in Quadragesima, quosque *Pecuinos & Cacomedicos* appellat: post in Confessarios, Parochos, & Superiores omnes, qui ejusdem facilitatis fontes sunt, invehitur. Tandem Christianos dispensatos perstringit, carpitque; quod Medicorum, & Confessariorum, seu Parochorum consilio mensa opipare in Quadragesima instruant. Medicorum, & Theologo-

rum plures ad aurem, ad gratiam, ad ventrem loqui. Quapropter cum Nazianzeno *ventriloquos* appellat. Textum P. Raynaudi transcribo, eumque legendum commendo Authori libelli inscripti. *Giustificazione di più Personaggi*, de quo nonnulla infra. „ Non est plerumque securior „ *Medicorum spiritualium* allegatio, intelligendo hoc nomine conscien- „ tiarum arbitros, etiamsi Confessarios. Multi enim liniunt parietem „ absque temperamento, consuuntque pulvillos sub omni cubito manus „ in exitium & suum, & eorum, quorum conscientiam onerant, *ac* „ *specie directionis implanant*. Itaque nisi vera legis violandæ necessitas „ sit explorata: aut ita probabilis, ut in propria causa, deposito sen- „ su suo, standum sit judicio prudentis, nec palpantis Directoris con- „ scientiæ, frustra ejus sensus allegatur. Neque vero est Confessario, „ ex eo quod Confessarius sit, plus in hac parte potestatis, quam cui- „ vis probo, simul & docto viro ad præbendum consilium de rebus ad „ conscientiam spectantibus idoneo. At hos videmus, lugemusque *non* „ *raro ad gratiam loqui*, ac molles sententias captare, & conniti, ut „ loquantur placentia: quod in antiquæ legis Doctoribus sæpe impro- „ bat Dominus, quæstus nominatim per Jeremiam, quod ab hujusmo- „ di Doctoribus egressa est pollutio super terram. *In superbiam, & ho-* „ *noris appetentiam horum malorum Doctorum vaniloquium* refert Author „ operis de malis Doctoribus. Cui corruptio ac cœnoso fonti adiungi- „ tur, non raro, commodi a consulto sperati illecebra, ut Author im- „ perfecti in Matthæum *hom.* 25. admonuit, suffragaturque Nazianze- „ nus (*orat.* 1.) *Ventriloquos* post Origenem (hom. 7. in Isaiam) appel- „ lans eos, qui veritatem vel evertunt, ut affluant, unde saginentur. „ Utinam illos conscientiarum arbitros nullos tales Doctrinæ Christia- „ næ propolas habeat Ecclesia. Quare in causa, de qua agimus, ne- „ mo sibi de Confessarii vel Doctoris Theologi assensu abblandiatur, si „ certum habet, se legi communi parere, & citra notabile valetudinis „ damnum Christianam abstinentiam observare. *tom.* 10. *de Ref. Median.* „ *pag.* 514. *& seq.*

XXIII. Quid? Vacillabit conscientia nostra utriusque Medici fulta suffragio? An Pontifex Summus aliud nobis onus imponit, præter utriusque Medici approbationem impetrandam? Numquid nostrum erit adver-

adversus Medicos, Theologos, Parochos, & Confessarios Tribunal exigere, in eosque sententiam pronunciare? Obediendum nobis est Superioribus: minime examen instituendum in eorumdem consilia, & sententias. Videant ne superbiæ fumo obducantur illi, qui juniores Theologos laxitatis accusant, assentationis, auræ mundanæ captandæ, & multitudinis conciliandæ avidos calumniantur. Hanc illusionem describit S. Bernardus *Epis.* 7. *Sed quid ad me? Ille. viderit* (Dispensator) *cui contradicere fas non erat: non est Discipulus super Magistrum. Docendus, non docturus. Sequi debui non præire Præceptorem Auditor.* Quod sophisma sic refellit Abbas Sanctus. Si absque examine Theologorum placita suscipienda forent, quid S. Paulus clamaret? *Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mali abstinete vos.* Quid clamaret Joannes? *epis. cap.* 1. *Nolite omni spiritui credere.* Et S. Bernardus sic istos alloquitur. *Dic quæso, si dato in manus gladio, suum te armari jussisset in jugulum, acquievisses? .... Age ergo. Vide, ne forte sub prætextu obedientiæ in quippiam ei gravius inservieris. loc. cit.*

XXIV. Verum paulo pressius excutiamus istorum prætextus. Et primum edisserant nobis, num quando Parochi, Theologi, Confessarii jejunia, eleemosynas, preces, sacrorum librorum lectionem: quando abesse a Theatris, a ludis, a diverticulis judent: continuo ne illorum consiliis parent, & absque examine ullo, quæ præcipiunt, adamussim exequuntur? Quot effugia non excogitant, quibus cuniculis eludere non conantur eorumdem sententiam? Dum favent gulæ, ventri, & concupiscentiæ obediendum, obsequendumque. Si contra contradicant appetitionibus vanis, tum rationabile obsequium esse debet, nihilque excipiendum, nisi ad severitatem cupiditatis, & avaritiæ criticen exigatur. Quod obtrudunt, famæ detrahi Theologorum Confessariorumque, dum dicimus non omnibus indiscriminatim fidendum, Detractionis accusant Evangelistas, Apostolos, & Prophetas omnes. Et sane in Pastores, & Theologos invehitur Jeremias *c.* 23. *Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem.* Item v. 11. 13. & 15. *Propheta namque, & Sacerdos polluti sunt, & in domo mea inveni malum eorum .... A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.* Legatur integrum caput, immo legantur Prophetæ omnes. Quid si exemplis confirmare

vellem, innumeros Theologorum suorum consiliis periisse? Vir ille Dei descriptus 3. *Reg.* 13. Jejunium fregit sane Propheta consulente, & tamen a leone occisus fuit. Nonne Accabus quadringentorum Prophetarum consiliis bellum aggressus fuit, qui tamen pœnas dedit, 3. *Reg. c.* 22. licet veros illos haberet Prophetas? Non propitior erit illorum eventus, qui Theologos auribus blandientes libenter audiunt, oderunt vero eos, qui gulæ cupiditati, & ventri bellum indicunt.

XXV. Expergiscantur ergo Christiani, & aliquando sapiant. Deus non irridetur. Jejunia necessaria sunt, quia peccasti: necessaria sunt, ne pecces. Debita ob patrata scelera contracta, solvenda Divinæ Justitiæ sunt. Æffrenis concupiscentia, quæ libidinis flammam accendere pertentat, comprimenda est. Quam impotens in te luxuria sit, quam vehemens concupiscentia, quam necessario sit adiiciendum jejunii frænum: non Medico, non Parocho, non Theologo, sed tibi soli exploratum est. Tu solus omnium tuæ egestatis calentissimus. Quid ergo bonam fidem obtrudis, quid Tgeologorum, Medicorumque authoritatem allegas ad excusandas excusationes in peccatis? Quid ignorantiæ velamen prætendis illecebris tuis? Ignorantia hæc voluntaria est, & affectata. Vellem omninm animis insitum effatum S. Bernardini Senensis. *In quolibet statu in Ecclesia Dei, & in quolibet reperies innumerabilem multitudinem ignorare, quæ illis sunt necessaria ad salutem, secundum statum suum: quæ ignorantia a culpa mortali non liberat, neque excusat. tom. 2. serm. 53. c. 1.*

CA-

CAPUT IV.

POSTULATUM II.

Archiepis. Compostel.

„ An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in „ vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ „ jejunantibus permittitur.

§. I.

Rationes excitandæ quæstiunculæ.

I. ACuti Juniores conceptis terminis propositam quæstiunculam non versarunt. Id forte in causa fuit, quod minime reputaverint illi conjungi jejunium cum esu carnium posse. Abstinentiam a carnibus non minus reputarunt illi ingredi essentiam jejunii, quam formam substantialem compositi Physici. Et quemadmodum, sublata forma hac, deficit compositum, ita, sublata abstinentia a carnibus, impossibile jejunium judicarunt multi. Quamobrem cœnam, non cœnulam permittebant olim omnibus in esu carnium dispensatis. Nulla ergo illis occasio controversandi licita ne sit in vespertina collatione parvula carnis comestio.

II. Principia tamen nonnulli, pauci tamen, ut suo loco dicetur, posuerunt, quæ ansam dederunt in examen vocandi præfatam quæstionem. Docent itaque Neoterici aliqui, nihil in serotino jentaculo ciborum qualitatem referre, sed quantitatem. Hæc, non illa, inquiunt taxanda est. Quare de eis omnibus escis, quæ licite comeduntur in prandio, manducari in collatione aliquid posse contendunt, dummodo quantitas servetur. Et quamquam hanc opinationem improbent vel ipsi laxiores Casuistæ, ut mox videbimus, tamen neque huic Patroni desunt. Eam defendit P. Patritius *Sporerius*, qui totus in stuporem actus,

actus, quod suus P. Layman oppositum doceat, exclamat. *Negant æque multi licere ... Mirabile dictu! ipse Layman.* Tam alta erat P. Sporerio de benignitate P. Laymani existimatio, ut æquabili animo ferre haud potuerit tantam illius, hac in materia, austeritatem. Sed integer P. Sporerii textus rescribendus est ex Appendic. ad III. Præcep. Decal. sec. 2. pag. mihi 284. n. 32. „ Spectata Moderna consuetudine, præsertim in nostra Germania, jam diu tolerata, & plane invalescente, censeo, non tantum omnia prædicta LICITISSIME absumi in *collatione*, sed etiam „ omnino probabilem, & tutam esse sententiam oppositam, nimirum in „ collatione vespertina jejunii *non esse attendendam qualitatem ciborum, sed* „ *quantitatem tantum*: adeo ut ex omnibus cibis, qui die jejunii licite „ possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, „ ovis, lactiniis &c. in quantitate modica & determinata, etiam liceat „ sumere in cœna. Ita expresse docent Cajetanus V. jejun. c. 1. in fin. „ dicens. *Non referre quid quis in serotino jentaculo summat, si modum non* „ *excedat*. Et aliis citatis, Bonacina de *Legibus disp. ult. pun.* 3. *q.* 1. „ Et novissime noster Petrus Marchant. Trib. p. 2. tract. 12. tit. 3. q. „ 3. dub. 1. his omnino verbis. Respondeo *ego in collatiuncula vesperti-* „ *na de qualitate cibi non esse altercandum, sed de quantitate dumtaxat.* „ Fundor: *quia collatiuncula illa tolerata, vel permissa est ad aliquam con-* „ *fortationem naturæ propter infirmitatem humanam: quid igitur refert, quo* „ *cibo illa confortatio fiat? Modo non excedatur, & cibus abstinentiæ jejunii* „ *sit accomodatus &c. Ideo censeo, qualitatem cibi (modo ex prohibitis in* „ *diebus jejuniorum non sit) collationem non vitiare, si in quantitate non* „ *excedatur*. Hæc ille. „.

III. P. Sporer, hoc textu sui P. Marchantii descripto, viribus receptis, & flatu, iterum mirabundus se se ad suum P. Laymanum convertit, & hoc epiphonemate suam claudit orationem. *Ego miror, Patrem Paulum Layman alias tam bonum Germanum in hac SOLA materia Patriotis suis fuisse tam austerum.* Sic festive jocantur super iis, quibus æternæ salutis unicum negotium vertitur? In sacrarum ergo legum judiciis, in animarum tremendissimo regimine, favendum est *Patriotis suis*? Respectus & amor Patriæ habere hic locum debent? Nec quosdam pudebit, nos velut minus obsequentes in Casuistas ejusmodi argue-

guere, si salvo erga eosdem obsequio, piaque excusata intentione, & animi simplicitate, tam inepta pronunciata deridenda lectoribus propinaverimus? Falso in patrocinium laxæ hujus opinionis Cajetanus asciscitur. Non fraudi, sed antiquæ consuetudinis inscitiæ talis allegatio adscribitur. Tempore Cajetani in disputationem vertebatur, posset ne in collatione vespertina aliquid panis, aut quidquam fructuum, vel herbarum sumi. Respondetque Cajetanus, non referre quid istorum sumatur, servata quantitatis mensura, ut infra dicetur. Ob hujus consuetudinis ignorationem, etiam alii pro hac opinione Cajetanum laudarunt. Inter primos, qui hanc laxitatem propagavit, fuit Martinus Bonacina plurium damnatarum Propositionum defensor. Pauci tamen illum sequuti sunt. Verum in semitam.

IV. Ex laudata doctrina hanc vi Probabilistici systematis argumentationem fortasse collegerunt aliqui, quæ postea excitavit propositum quæsitum. Probabilis sententia est, quæ docet non esse de cibi in collatione vespertina sumendi qualitate altercandum, disputandumve. Sed quisque omnium escarum, quas in prandio comestus est, in collatione sumere aliquid valet, dummodo quantitatis taxatio servetur. Si prandii epulæ fuerunt pisces: si ex dispensatione aut consuetudine fuerint lacticinia, ova, & cætera ejusmodi; in collatione comedere poteris aliquid aut piscium, sive parvorum, sive magnorum, sive recentium, sive salitorum: aut lacticiniorum, puta unum ovum, aut aliquid casei, vel butyri. Heinc sic argui in Palestra Probabilistica potest. Hæc laudata sententia Probabilis est. Ergo licita. Probo majorem. Hanc opinionem defendunt quinque docti juniores Pasqualigus, Marchantius, Bonacina, Sporer, Bizozer. Sed opinio quinque Modernorum est Probabilis, ergo &c. Nec refert P. Turrianum, benignissimum Probabilistam hanc opinionem reprobare, ut scandali, & temeritatis plenam; quia respondet P. Pasqualigus in proscripto opere de jejunio *Decis.* 115. P. Turrianus *sua consueta facilitate in censurandis opinionibus, etiam quæ nullam censuram merentur, vocat oppositam sententiam scandalosam, temerariam, & contra bonos mores*. Accedit quod post P. Turrianum hæc sententia nacta est alios duos Patronos, nempe PP. Sporer, & Marchant. Sunt itaque pro hac sententia sex Doctores Moderni. Imo etiam P. Basseus

in

in flor. Theolog. v. jejun. 1. n. 9. Probabilem eam vocat: ergo aut Probabilis dicenda, aut improbandum Systema Probabilisticum. Præjacta Probabilitate ista, sic instauratur argumentatio. Juxta Probabilem sententiam omnes epulæ, quæ licitæ sunt in prandio, licitæ sunt, servata quantitate, in collatione vespertina. Sed carnium epulæ licitæ sunt, supposita legitima dispensatione, in prandio: ergo licitæ erunt in serotino jentaculo. Singulas expendamus propositiones. Major est certa. Facto enim nititur quod pervium omnibus est. Non minus certa & evidens minor est. Consequentia autem legitima. Quid? Licet in collatione vespertina aut recens sorbere, aut assatum comedere ovum, & non licebit frustum carnis sumere? Si nutritionem spectes, an minus ova, quam carnes nutriunt? Insignium Medicorum sententia, ova magis, quam carnes nutrire. Et ut ut sit de hoc majori nutrimento, convenit penes omnes, ova magnopere alere, &, si recentiora sint, delicatam quoque comesturam præbent. Quamobrem ægrotis porriguntur tamquam cibus valde nutriens, & facilis digestionis. Porro semel posita carnium comestione, quis inficias ire poterit, licitum esse tot carnium, quot lacticiniorum uncias comedere in vespertina collatione? Utriusque generis epulæ sunt in prandio æque licitæ: sunt in nutritione plus minusve æquales. Ergo qua probabilitate permissum est cujusque generis piscium, ovorum, lacticiniorum, moderatam quantitatem sumere in collatione serotina, eadem licitum erit comedere similem carnium quantitatem. Hæc, ut ego quidem arbitror, fuerunt instituendæ quæstionis propositæ argumenta. Nil quippe aliud occurrere potuit, quod excitandæ controversiæ ansam daret. Et sane admissa prioris sententiæ probabilitate, argumentatio inde elicita spernenda non esset; sed quam futilia sint omnia mox patebit.

§. II.

§. II.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Respondemus non licere, sed opus habere eo cibo, eaque
„ uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ
„ meticulosæ conscientiæ.

Origo, & progressus vespertinæ collationis.

V. DEmonstrare minime valeo quam sit & vetustæ, & recenti Disciplinæ *Pontificium Rescriptum* consentaneum, nisi rem ab ovo arcessam, atque tum levia, tum magna istius vespertinæ collatiunculæ incrementa patefaciam. Porro prima ejusdem vestigia in Monachorum collationibus, seu sacris lectionibus sero fieri solitis visuntur. Regula *Magistri* una exantiquioribus prima est, quæ istius collationis indicia prodat *cap.* 27. *Nam & his ætatis diebus, cum ad nonam reficitur, sero, antequam compelant, binæ sufficiant omnibus potiones: ita tamen, ut antequam bibant, orent.* Aquæ non vini potus erat, & mensura præstituta. *Bibere si voluerit aquam, non ab urceo uno haustu, sed ad calicis bibat mensuram.* Ejusmodi potus in jejuniis Monasticis tantum, secus in iis, quæ Ecclesiæ præcepto jubentur, permissus erat. Vespere enim hæc: illa, hora nona solvebantur. Circiter sæculum nonum mos iste Monasticus in Ecclesiæ jejunia immigravit, ut ex variis Monachorum Regulis apparet. Templariorum Regula ab Onorio II. approbata clarius cæteris consuetudinis hujus meminit cap. 16. *Audito signo, ut ejus Regionis consuetudo est, omnes ad Completas oportet incedere vos; ac prius generalem collationem sumere. Hanc autem collationem in dispositione, & arbitrio Magistri ponimus, ut quando voluerit ab aqua, & quando jubebit misericorditer ex vino temperato competenter recipiatur.* Collationem hanc fusius describunt Ordinis Præmonstratensis statuta, & Prædic. Ord. Constitutiones, quæ vocari campanæ sonitu, jejuniorum tempore ad hanc

col-

collationem, Religiosos imperant, atque in medio sacræ lectionis ex Prælati licentia bibi permittitur. Solius potus fuisse collationem hanc declarat brevissima precatio, qua potum non cibum a Domino benedici supplicatur. *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum*. *Const. Ord. Præd. Distin.* 1. *cap.* 6. Quæ benedictio etiam in præsens usurpatur. S. Bonaventura tribus tantum vicibus bibendi in hac collatione permittit. *Ad collationem tempore jejunii faciendam, duabus tantum, vel tribus, si indiget, bibere vicibus, temperantiæ congruit. p.* 1. *spec. dis. c.* 21. Arbitraria prorsus est Cardinalis Cozza interpretatio, qua contendit non solum potum, sed cibum quoque permissum. Apparet ne in Bonaventuræ textu quidquam quod cibum indicet? Minime. Sed inquit Cozza, *debet subintelligi, quia non est probabile, quod voluerit permittere, ut quis duabus, vel tribus vicibus bibat, nullo gustato cibo. p.* 1. *cap.* 10. In facti quæstionibus similes distinctiones minus sunt aptæ. Interpres non advertit, dum hæc scribebat, ad illius temporis disciplinam. Ter bibere permittit Bonaventura illis, qui siti laborabant. Nullus illius sæculi scriptor cibi meminit: sui temporis more captus scripsit eruditus Author. Alexander Alensis Latinorum jejunia præfert jejuniis Græcorum, quod isti in serotina collatione herbarum usum permitterent. *Ita est efficacius jejunium nostrum, & laudabilius quam Græcorum. p.* 3. *q.* 28. *memb.* 3. *a.* 3. Cardinalis Umbertus, qui sæculo XI. vivebat, in suis adversus Græcos Disputationibus iisdem improperat, quod in quadragesima fructus, herbasve in collatione vespertina sumerent, a quo abusu liberos Latinos asserit. *Quadragesimam diligenter observare contendimus, quam, ut aliquis, excepta gravi infirmitate, in aliquo infrigat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post unam refectionem quidquam pomorum, aut herbarum diebus jejuniorum percipere. Tom.* 4. *Bibliot. PP. p.* 2. *pag.* 247. Theodorus Balsamon Patriarcha suæ Nationis morem excusat prætextum pauci cibi in prandio sumpti, additque illos tantum, præfatum cibum sumere, qui peculiari indigentia premebantur. S. Thomas expresse testatur, Latinæ Ecclesiæ Disciplinam unicam permittere comesturam. *Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.* 2. 2. *q.* 147. *a.* 6. Præter hanc unicam comestionem, electuaria sumi potuisse asserit, dummodo

do

do per modum medicinæ digestionem juvantis, non cibi famem extinguentis, acciperentur: *Unde non solvunt jejunium, sicut & aliarum Medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. loc. cit.* Quoniam vero eorum erat electuariorum pretium, iccirco communior, & facilioris pretii usus herbarum, vel fructuum terræ invectus est. Celeberrimus Alphonsus Tostatus primus fuit, qui sæculo XV. sub examen induxit, licitum ne esset electuariorum loco quidquam herbarum, aut fructuum, vel panis frustulam comedere? *Sed quid, si quis non habens electuarium, accipiat modicum de pane, vel fructibus, aut quibuslibet aliis cibis, anfrangatur jejunium? Aliqui putant, quod frangatur, quia isti sunt veri cibi.... Dicendum, quod non est ita securum sumere ista, sicut electuarium, quia isti sunt cibi veri. Potest tamen dici, quod si sumantur solum, ut stomachum disponant, ne potus sumptus noceat, jejunium non frangitur; quia licet isti sunt cibi, non sumuntur tamen, ut cibi, sed ut medicinæ.... Et ad hoc oportet, quod sit valde parva quantitas panis, vel similium rerum, & etiam quod non sumatur, nisi quando potus sumitur, ut non noceat, quia alias videretur sumi aliqualiter in remedium famis..... Securius tamen est, abstinere ab eis, nisi quis credat, quod potus sibi multum noceret. In cap. 6. Matt. q. 170.*

VI. S. Antonin. Archiepiscopus Florentinus Tostato suppar, eamdem versat controversiam, & eadem præter propter ac Tostatus docet *2. p. tit. 6. c. 2. §. 9. Unde cum communis usus Christianorum sit facere collationem, de sero aliquid parum sumere cum potu sine alia consideratione, quamvis non intendat sumere per modum Medicinæ, ne scilicet vinum noceat, sed invitantur consuetudini, quæ ea ratione videtur introducta, pie est interpretandum factum eorum, & excusandum, & hoc, nisi sumerent in quantitate notabili, vel de pluribus generibus fructuum, vel studiose ad nutriendum, minus congruum videtur panem sumere. Sumere autem bucellam panis frangit jejunium.* Esus ergo panis tempore S. Antonini, qui vivere desit anno 1459. haud erat absolute permissus. Sylvester, qui sub initium sæculi XVI. scribebat, Doctrinam S. Antonini adoptat, additque panem sumi posse, si desint herbæ, aut fructus. *Quia circa hoc legem aliam præter consuetudinem non habemus, dico, quod ubi est consuetudo, licite sumitur panis, si aliud non habetur (nimirum herbæ, vel fructus (vel si ha-*

habetur, illud stomacho nocet. Cajetanus Cardinalis vir sui ævi summus, & ingenii acumine nemini secundus, pariter asserit non esse sumendum panem, nisi sit consuetudo invecta. *Deferendum tamen est consuetudini loci, videlicet, ubi non consueverit sumi panis, non sumatur sine rationabili causa, puta quia fructus nocerent, aut non haberentur, aut non possent conteri dentibus*. 2. 2. *q*. 147. *a*. 6. In summula *verb. jejun.* addit parum referre sive panem, sive fructus sumat. Quid heinc colligunt Probabilistæ aliqui? Cajetanum docere non esse in jejunio spectandam qualitatem, sed quantitatem; atque adeo aliquid ex quibuslibet escis in prandio licitis sumi posse. Quod sane commentum absonum est, & falsum.

§. III.

Casuistarum placita super cibi quantitate sumenda in collatione vespertina.

VII. PRimum sub potus specie, post sub medicinæ digestionem juvantis forma obtinuit collationis vespertinæ consuetudo: infra hæc confinia constitit ad sæculum decimum usque. Hac tempestate nova opinandi invecta methodo, medicina in cibum migravit. P. Leonardus Lessius animadvertit, eam suo tempore absolute licuisse sumere collationem nutriendæ naturæ causa. *Item sumentes collatiunculam vespertinam, etiamsi id faciant, non solum, ne potus noceat, ut olim; sed etiam alendi causa, & absque potu, quia consuetudo permittit &c. lib.* 4. *c*. 2. *dub*. 2. *num*. 11. Similia docet P. Joannes Azorius *p*. 2. *lib*. 7. *c*. 8. *Fateor quidem illam primo cœpisse causa somni accipiendi, & idcirco etiam indigentiæ, more tamen, & consuetudine introductum est, ut ea absolute, & simpliciter utamur*. Brevi adeo mos iste invaluit, ut in ipsis Regularium domibus obtinuerit. Prima recentiorum temporum Regula, quæ vespertini jentaculi meminerit, est illa PP. Theatinorum a Clemente VII. confirmata *p*. 2. *cap*. 3. *Jejuniorum tempore ad cœnulam simul accedant: cibum sedentes sumant: spiritualis lectionis cibo reficiantur*.

VIII. Ad quantitatem quod attinet, Ecclesiasticæ Disciplinæ strenuus instaurator S. Carolus Borromæus primus omnium, prout mihi constat,

ftat, quantitatis limites huic collationi præstituit. *Semel tantum in die post meridiem cibum capiant. Quod si aliquid alicui amplius opus erit, Vesperi panis unciam cum dimidia, & vini poculum tantum capere liceat.*

IX. Istius quantitatis confinia mirum in modum Recentiores Probabilistæ amplificarunt. Vix alia reperiri materia potest, in qua mirabilius emicuerit nova Probabilitatis benignitas. Integros in folio tomos edidit, ut antiquam jejuniorum severitatem temperaret, aptaretque hodiernæ teneritudini. Pedetentim res processit, crevitque. Jacobus Grassius S. Carolo proximus præfinitam quantitatem pro meditetate auxit, dilatavitque ad tres uncias. 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 25. *Dicta collatio fieri potest vel parum fructuum, vel ficuum; vel panis solius v. g. duarum unciarum, vel utriusque, juxta morem Regionis sumendo*. P. Joan. Azorius *l.* 7. *c.* 8. *q.* 8. addidit unam unciam. *Refectiuncula vespertina certa & definita cibi quantitate . . constare debet .... quæ modica censeatur, qualis est panis quantitas, quæ trium unciarum ve lquatuor est*. Azorio subscribunt Sa, Homobonus, Victorelus, Naldus, Lezana, Molfesius in *Sum. tract.* 10. ampliat usque ad sex uncias. *Largior*, inquit, *confessio a sex unciis infra eorumdem ciborum, quibus vesci libet in quadragesima. Viri tamen timorati non excedunt tres, vel quatuor uncias*. Huic subscribunt Villalobos, & Filiuccius. Hieronymus Perez in *Sum. p.* 1. *præcept.* 3. §. *de jejun.* hanc quantitatem dilatavit ad septem uncias.

X. Tandem P. Fagundez *lib.* 1. *de* 4. *præcept. cap.* 4. *n.* 13. ubi hæc scribit. *Sæpissime in nostra Societate ex doctissimo Suario relatum audivi, octo uncias ex pane, & fructibus capi posse pro collatione serotina, absque fractione jejunii, & defraudatione legis illius*. P. Leander a Ss. Sacramento *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 13. narrat eumdem Fagundez addere *has octo uncias sive dimidiam libram sumi posse absque nulla necessitate, ratione consuetudinis; nec obstare, quod quis ea quantitate ita maneat saturatus ac alius, qui cœnaret splendide*. P. Leander, relato hoc textu, concludit, *Hucusque Facundez & bene*. Huic sententiæ subscribunt Pasqualigus. Turrianus, Macchadus, Sanchez, Escobarius, Pellizarius, Baunius, Gesualdus, Castropalaus, & alii apud Leandrum. P. D. Antoninus Diana *tom.* 4. *tract.* 6. *Resol.* 116. scribit, hanc unciarum octo sententiam summopere lætificare omnes, eamque ambabus ulnis amplecti. *Cum*

quantitatem unicarum octo in dicta collatione licitam esse statutum sit, in hoc puncto non multos habebimus adversarios, quia talem quantitatem ab omnibus cum acclamatione, & brachiis expansis sustinendam esse video. Opportuna est hæc P. Antonini *Dianæ* animadversio, homines nempe cum acclamatione, brachiisque passis has complecti opiniones benignas, & blandas, quæ gulæ, cupiditati atque humanis appetitionibus explendis sunt accommodatissimæ. Et tamen benignior adhuc sententia superest. Joannes Henriquez in *pract.* 99. *sect.* 16. *q.* 4. apud eumdem Dianam *loc. cit.* admonet præfatas octo uncias intelligendas esse fructuum aridorum, secus humidorum. Nam duodecim unciæ humidorum non æquivalent octo aridorum. Hæc sunt ejusdem verba Hispanica omnibus captu facilia. „ Que la catidad de las „ ocho oncas pro colacion non se de entender con las frutas muy hu„ medas como son uvas, y cirvelas frescas y cosas semejantes porque „ doze oncas destas frutas muy humedas son ocho de las frutas secas, „ y assi la major catidad de lo humecto equivale a la menor catidad „ de cosas secas.

XL. P. Leander narrat sibi oppositum fuisse, hanc octo unciarum opinionem nimium esse laxam, & *indignam*, inquit ille, *Scriptori Discalceato, & austero;* sed continuo respondet. *Dico, quod ego non mibi Discalceato hæc scribo, nec pro me laboro, sed pro aliis præcipue sæcularibus, qui ægre jejunia ferunt, qui illa ut durissimum jugum aversantur, & impares ipsis humanas vires deplorant, & sic oportet eorum fragilitatem sublevare, & verbis Christi dicentis* jugum meum suave est, & onus meum leve, *eos oneris levitate invitare*. En patefactam, omnium laxitatum radicem. Longe duriora sunt atque difficiliora præcepta castitatis, dilectionis inimicorum, aliaque plurima, quam præceptum jejunii. Si ob difficultatem observantiæ laxandum est istud, potiori jure laxanda alia. Sensus, in quo oraculum citatum Christi adducitur, contrarius est Patribus omnibus, & bona venia erroneus videtur. Quoniam suave est jugum illud, quod perfusum sit gratiæ, & charitatis unctione, non quod humanæ naturæ suis viribus relictæ leve sit, & suave. Impositum hoc jugum est, ut carnem comprimat, passiones crucifigat, & amaritudinibus cor nostrum repleat, ut æternum

num

num gaudere queat. Quare communiter Probabilistæ summopere præfato Evangelico textu abutuntur. Sed hæc per transennam.

XII. Neque adhuc extrema benignitatis palato indulgentis confinia attigimus. Quartam cœnæ partem in vespertina refectiuncula sumi posse docent Reginaldus *tom.* 1. *prax. pœnit. lib.* 4. *c.* 14. *dub.* 10. *n.* 185. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 9. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 26. *par.* 2. *cap.* 3. *n.* 33. apud Pasqualignm *Decis.* 90. Idem Filliucius asserit, hanc opinionem in celebri Accademia Theologorum approbatam fuisse. Eam evincere hoc pacto conatur. In cæteris rebus quarta pars censetur modica, ut in omissione Missæ, in omissione horæ canonicæ. Et reapse in jure pro modico accipitur pars quarta. Ex hac doctrina fortasse ortum habuit opinio illius Recentioris asserentis apud *Gobatum* teste P. Claudio La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1305. modicam esse materiam etiam in non dispensato comedere octo uncias carnis in Quadragesima. Juxta sententiam P. Filliucii ventris amplitudo mensura est collationis vespertinæ. Principium allegatum falsum est. Si quarta pars parva reputaretur materia, non ergo lethaliter peccabit qui die veneris quartam comederet partem carnium illarum, quibus vesci die jovis solet? Quamobrem ligurire poterit integrum pullum columbare absque mortifera culpa. Parvitas enim materiæ a gravi culpa excusat. Principium ergo absolute acceptum erroneum. Quod autem nec respectu refectiunculæ serotinæ hæc quarta pars sit modica reputanda materia, constat vel ex ipso communiori Probabilistarum consensu. Quamquam P. Leander a Sontissimo Sacramento docet, non peccare mortaliter qui octo unciis duas adderet: pro qua sententia laudat Pasqualigum *decis.* 105. Petrum Ledesmam Joannem Sanchez, & P. Thomam Sanchez, qui *lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 25. *n.* 5. ait. *Nota quod licet aliquantulo major justo collatio, non statim est peccatum mortale nisi sit notabilis excessus. Sic nonnulli docti Juniores.* Isti docti Juniores præfiniunt limites ultimos vespertinæ refectiunculæ, & postea adjiciunt parvulum auctarium, ut omnis præcidatur scrupulorum occasio.

XIII. Quisque sibi persuadet *non plus ultra* nos attigisse Casuisticæ benignitatis. Sed fallitur. Præfinita quantitas octo, & absque gravi culpa, decem unciarum, deservit plebeis, seu robustioris valetudinis

 homi-

hominibus. Disputandum nunc remanet, quæ quantitas præscribenda nobilibus viris sit? Quæstiunculam proponit Leander *loc. cit. q.* 28. *An viri nobiles, seu graves possint majori uti collatione, quam cæteri de plebe. Respondeo dicendum quod possint uti majori collatione*. Et pro sua sententia plures doctos Juniores allegat, nempe Pasqualigum, Layman, Sancium, Fagundez, Dianam, Bosium, Molfesium, Tannerum, Machadam, Trullenchum Villalobos. Jure igitur nobiles viri, ne ingrati animi arguantur, plaudant doctis junioribus, qui tanta benignitate desudant illorum commodo. Rursus inquirit *q.* 29. *An qui sunt delicatioris complexionis possint majorem collationem sumere, quam qui robustioris sunt? Respondeo posse*, laudatque Lamas, & Layman. Ultra pergit quæritque *q.* 30. *An qui studiis vacant possint ampliorem refectiunculam sumere. Negat Pasqualigus .... Sed ego absolute longe probabilius respondeo posse ampliorem refectiunculam sumere, etiamsi continuo studiis non vacent, dummodo certis horis, hoc est quinque, vel sex studeant, etiamsi id faciant recreationis causa .... Sic sentit Layman*. Nec hic sistit gradum, sed universalius quærit *q.* 31. *An Advocati, Procuratores, & aliæ personæ quæ ingenio laborant, possint largiorem collationem facere? Adfirmat Pasqualigus, casu tamen quo toto die ingenio laborent ..... Sed ego absolute respondeo posse etiamsi tota die non laborent, sed per aliquas horas, nempe per quinque aut sex*. Nec putes exhaustum esse universæ benignitatis fontem, nam *q.* 32. disputat. *An qui male dormiunt, quando non cœnant, possint refectiunculam solitam excedere? Respondeo posse excedere in tota illa quantitate, quæ censeatur necessaria, ut possint congrue dormire. Sic Hieronym. Lamas, & Pasqualigus, qui bene notat ad hanc indulgentiam capiendam non requiri, quod somnus omnino non capiatur, sed ALIQUALITER*.

§. IV.

§. IV.

Brevis animadversio in recensitas opiniones.

XIV. DUO fuerunt momenta præfatas referendi opiniones. Alterum, ut viam mihi pararem expeditam ad id, quod proposui evidenti argumentatione demonstrandum. Alterum, ut Christianis Lectoribus lacrymarum fontes aperirem. Erunt, non ambigo, qui me hæc præstitisse asserant, ut juniorum Theologum famam & auctoritatem in discrimen adducerem. Sed Deus scit, istos falli. Quoniam piam, sanctamque habuisse intentionem laudatos Theologos omnes salvandi, millies testati sumus. Eorum conatus, & studia suspicimus. Sunt jam illi extra censurarum nostrarum ictus. Adversus opiniones, quas populo Christiano in summo, & unico æternæ salutis negotio perniciosas, nisi nimius amor nos fallat, invehimur. Brevis nostra animadversio hæc est. In sola refectiunculæ vespertinæ quantitate præfinienda tot laxæ opiniones? Tot disputationes, de quibus nec verbum per quindecim sæcula apud majores nostros? Tam subtilia, & ridicularia, venia sit verbo, commenta, ut sub falsæ benignitatis fuco gulæ negotium peragatur? Major nobilibus, & delicatioribus, quam robustioris valetudinis hominibus refectiunculæ quantitas? Sola nobilitas novus titulus est exemptionis a legis severitate? Quid si referre isthuc vellem quæ de potus, cibique, extra prandium, & jentaculum serotinum, sumptione docent? Non modo a vino, sed ab aqua etiam abstinuere majores nostri, tempore refectionis excepto. Invectum bibendi vini usum extra prandium adeo dilatarunt Recentiores Theologi, ut hæc scribere non timuit P. Thomas Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. c.* 5. §. 2. 4. *Sed licet bibere vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino distillatas, etiam de mane, etiam ob SOLAM DELECTATIONEM, etiam multoties in die, etiam IN FRAUDEM jejunii. Ita*

Layman , *Sanchez* , *Lezana* , *Fagundez* . Nihil de Indico matutino potu dico . Disputant , liceat ne præter duas refectiones parvulam , & magnam sumere mel , pyra , uvasque recentes extinguendæ sitis causa ? Ajunt Pasqualigus, Filliucius, & Trullenchus. Contendebant alii licere pluries in die quidquam pauxilluli cibi separatim sumere . Quam sententiam ab Alexandro VII. proscriptam , ut licitam efficerent , alii acutiores disputare cœperunt, liceret ne saltem aliquid cibi capere quoties bibitur , ne potus noceat , Ajuntque Diana , & Leander cum viginti Junioribus . Quin addunt , absque culpa veniali posse te aliquid cibi capere, ut vel amico id roganti indulgeas , vel ut odoriferum halitum stomachus mane efflet inquit Leander *disp. 5. q. 20. 21. 22. 23. Absolute respondeo , quod possit aliquid cibi aromatici sumere , ad tollendum malum odorem quem stomachus jejunus causat.*

XV. Quid ex hac brevi animadversione emolumenti ? An Casuistarum contemptio ? Absit . Illos cole , piam intentionem excusa . Quid ergo ? Laxitatis , & erroris detestatio . Ut heinc colligas , quo nimia de morum regulis disputandi libido tandem recidat . Reputes tecum serio velim, ubinam in his disputationibus vera Christianæ pœnitentiæ imago appareat? Conferas velim cum Patribus nostris , sanctisque Doctoribus recitata , & innumera , quæ præterii , commenta , si comprehendere aves, quam luculentum sit Oraculum Alexandri VII. , novum videlicet opinandi modum & a simplicitate evangelica , & a Patrum doctrina alienum esse. Sed hæc cursim, obiterque.

§. V.

§. V.

RESPONSUM PONTIFICIUM

Excludens carnium esum a collatione vespertina *invictis argumentis evincitur consentaneum tum antiquæ, tum hodiernæ Disciplinæ. Nec ipsi laxiores Casuistæ repugnant, immo communi assensione hoc idem docent, & potissimum Theologi Hispani.*

XVI. Responsum Pontificium continet partes duas. Altera qualitatem, quantitatem altera spectat. De prima nunc, mox de altera. In prima parte Pontifex Summus carnium esum non licere in vespertino jentaculo edicit. Superiori paragrapho laxiores Casuistarum opiniones recensui, ut heinc validissimam argumentationem eruerem in causæ meæ præsidium. Et ne gratis id me afferere suspicetur quisquam, continuo sic argumentor. Recentiores Theologi eo nervos omnes intenderunt suos, ut severitatem quadragesimalis jejunii delinirent: nulli speculationi, nulli subtilitati pepercerunt, ut quantitatis limites amplificarent, & totam jejunii severitatem in suavitatem verterent. Hæc prima propositio ex documentis antecedenti paragrapho relatis evidens est. Atqui laudati Casuistæ unanimi consensu negant, licitum esse sive pisces, sive lacticinia, quæ licite sumuntur in prandio, licitum esse quidquam ex iisdem in jentaculo serotino comedere. Ergo potiori jure illicita erit carnis comestio. Consequentia legitima est. Sola secunda propositio demonstranda superest. Eam porro evidentius demonstrare nequeo, quam eorumdem Casuistarum textibus. Antequam illos refero, ratione ab ipsius jejunii natura petita, evinco conjungi haud posse cum vespertino jentaculo cujusque carnis esum. Siquidem unica comestio est principalior jejunii pars: & ut tricas vitemus, omnes ad unum Theologi fatentur duplici comestura jejunium frangi. Porro tunc iteratur comestura, quando illæ escæ comeduntur, quæ

prandium, aut cœnam conſtituunt. Ejuſmodi autem ſunt piſces, lacticinia, carnes. Ergo eſcæ iſtæ in collatione veſpertina ſumi nequeunt, ne iteratis eſibus natura jejunii Eccleſiaſtici diſſolvatur. Itaque Theologi, ut quoad fieri poteſt veram jejunii notionem ſalvent, in unica comeſtura ſitam, adjecta appendice abſtinendi a carnibus, docent in collatione veſpertina nihil eorum manducandum eſſe, quæ rationem habeat epulæ, ſeu ferculi, quod in prandio comedi ſolet. Hinc bellaria, quæ poſt prandium ſumuntur, ſive fructus, aut herbas in jentaculo ſerotino adhibenda cenſent. Hæc enim juxta communem ſenſum epulas, ſeu fercula non efficiunt. Idcirco dicimus comeſtionem non iterari, licet refectiuncula ſumatur ex bellariis, fructibus, herbiſve, quæ rationem epulæ non habent. Verum hæc non tam a ratione intrinſecus arceſſita, quam a conſuetudine pendent. Conſuetudo tamen rationabilis ſit oportet. Tum porro eſt rationabilis, cum bonum commune ſpectat. Corruptela vero dicitur, ſi eidem adverſatur. Verum de hoc infra.

XVII. Propoſitionem meam nunc evinco communi omnium fere Recentiorum, & quidem laxiorum auctoritate. Ut ſub initium capitis admonui, hi non diſputarunt de licito uſu carnium in veſpertina collatione, quia ſocietatem carnium cum jejunio vix agnovere. Quoties ergo probavero illos a veſpertina collatione piſces excludere atque lacticinia permiſſa in prandio, evidentiſſime inferam potiori jure eoſdem excludere carnes. Duos primum omnium referam, qui ſunt veluti duo prima probabiliſticæ benignitatis capita P. *Diana* Siculus, & P. *Leander* Hiſpanus in emolliendis legibus nemini ſecundi.

XVIII. P. Antoninus Diana *tom. 4. coord. tract. 6. Reſol. 116. §. 6.* hæc ſcribit. *Aſſero in dicta collatione ſub onere peccati mortalis quantitatem licitam non poſſe ſumi in piſcibus, ovis, & aliis lacticiniis, ſeu cibis ſubſtantialibus in cœna manducari ſolitis. Et ratio eſt manifeſta, quia, ut dictum eſt, collatio eſt licita propter conſuetudinem. Sed conſuetudo, quæ introduxit dictam collationem, non ſolum præſcripſit quantitatem, ſed etiam qualitatem ciborum: nunquam vero per conſuetudinem in collatione introducti ſunt cibi, qui communiter ordinantur ad ſuſtentationem, & inter fercula apponuntur, ut piſces, ova, legumina &c. ergo talia manducare illicitum, & pecca-*

peccatum erit. Verum quia multi nolunt hanc veritatem intelligere, ponam per extensum verba Doctorum.

„ Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 23. dub. 7. n.* 3. Nequit fieri col-
„ latio ex piscibus, aut ovis, vel leguminibus; quia bellaria, fructus,
„ herbæve &c. sunt collationis materia. „ Ex hispano sermone in al-
„ tinum versa.

„ Azorius *p. 1. lib. 7. cap. 8. q.* 9. In refectiuncula vespertina solum
„ edi possunt quæ ante vel post prandium sumi solent, quales sunt fru-
„ ctus arborum, herbæ, & alii quidam fructus leviores sumi soliti, ea
„ tantum ratione, ne potus stomacho officiat, ut proinde sit corrup-
„ tela, si cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qua-
„ lia sunt legumina, & pisces „.

„ Reginaldus in praxi *tom. 1. lib. 4. disp. 14. dub.* 10. In refectiuncula
„ serotina solum edi possunt quæ ante, vel post prandium, aut cœ-
„ nam alias sumi solent, qualia sunt electuaria, fructus arborum, puta
„ ficus, uva, nuces, pyra, poma, herbæ &c. Si enim secus fiat, idest
„ sumantur alii cibi, & qui valent potissimum ad nutriendum, ut sunt
„ pisces, & legumina, non erit refectiuncula, sed jeiunium solvetur.„

„ Filliucius *tom. 2. tract. 27. p. 2. c. 2. dub. 6. n.* 30. Cibi, qui com-
„ muniter ordinantur ad sustentandam naturam, & inter fercula ap-
„ ponuntur, videntur prohibiti esse: tales sunt pisces, ova, item jus-
„ cula ex leguminibus amygdalato, & hujusmodi: Hæc enim omnia
„ prohibentur; quia non solet numerari inter cibos ad jentacula, sed
„ inter cibos ad alendam, & sustentandam naturam.

„ Layman in *Theolog. Mor. lib. 4. tract. 8. cap. 1. n.* 9. Qualitatem
„ cibi in collatione sumendi ajunt DD. communiter esse fructus, aut
„ herbas adjuncto etiam pane, vel pisciculo parvo, secundum Azo-
„ rium, qui fumo exsiccatus, vel aceto maceratus sit, qualis etiam in-
„ ter leviores cibos numerari solet, ut colligitur ex *cap. presbyter. dist.*
„ 82. *& c. 2. de homicidio*; nam ipse postea Azorius corruptelam esse
„ ait, si ii cibi sumantur, quia potissimum ad nutriendum valent.„
„ qualia sunt legumina, & pisces „.

„ Stephanus Fagundez de *Præcep. Eccles. tract. 4. lib. 1. cap. 4. n.* 18.
„ Consuetudine ubique receptum est, ut in refectiuncula soli fructus

„ cum.

„ cum modico panis capiantur : & hanc consuetudinem excedere non „ est licitum . Et si aliqui nonnihil piscis adhibere soleant „ *id quidem* „ *per corruptelam faciunt* „ *non per consuetudinem legitimam* : communis „ enim consuetudo est , ut fructus modici , & modicum panis in col- „ lactione adhibeatur , non pisciculi parvi , nec tantillum magni pis- „ cis ; non enim quantitas materiæ , sed materia prohibetur „ .

„ Sancius in *Selectis Disp.* 52. *n.* 8. Nec ex cibis cœnam aptis etiam „ in minori mensura poterit accipi refectio . Obstat enim ad id con- „ suetudo contraria , qua si non excusaretur collatiuncula de herbis , „ & fructibus , neutiquam etiam nequiret assumi „ .

„ Joseph Angles de *jejunio q.* 9. *ar.* 2. *dub.* 4. In collatione serotina , „ ne illa sumantur, quæ per se ad nutriendum ordinantur , quales cibi „ sunt pisces , ova , & cætera : nam in his quamquam similis quanti- „ tas non violaret jejenium , ratione tamen qualitatis violaret „ .

„ Vivaldus *in Candelab. aur. p. ult. c.* 11. *n.* 25. In refectiuncula come- „ di potest frustulum panis cum pyro , pomove cum uva , vel paucis „ ficis , nucibus , vel his similibus „ .

„ Berarducius in *Sum. cor. p.* 1. *c.* 2. *n.* 69. In collatione serotina co- „ medi possunt aliqua electuaria , confectiones , vel panis dulciarius , „ fructus , herbæ &c. quæ ad nutriendum principaliter ordinata non „ sunt „ .

„ Petrus Ledesma in *sum. tom.* 2. *tract.* 17. *c.* 2. *diff.* 5. *concl.* 4. Quis- „ que in collatione sumere potest quartam partem panis , tres , aut „ quatuor oleas , & parum electuarii , aut quid simile : (& paulo post „ fol 691) Nequeunt in collatione comedi ova , nec alia id genus, quæ „ manducantur in cœna . „

„ Jacobus de Graphis in *Decis. p.* 1. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 29. Collatio de se- „ ro fieri potest vel sumendo parum fructuum , vel ficuum , vel panis „ solius , vel utriusque juxta morem Regionis „ .

„ Vega in *Sum. p.* 1. *cap.* 14. *cas.* 5. In collactione licet sumere non „ fructus modo , aut panem , aut herbas separatim , sed etiam conjun- „ ctim „ (Latine versa .)

„ Antonius de Literatis in *Sum. p.* 2. *c.* 19. *n.* 4. Jejunans in sero „ diei , non debet sumere aliquod comestibile , quod in prandio consue-

„ tum

„ tum est sumere ; sed aliquid per modum medicinæ , ne potus illi „ noceat „ .

„ Mollesius in *Sum. tom.* 1. *tract.* 10. *c.* 3. *n.* 24. Nihil interest, si in „ pane , vel fructibus fiat hujusmodi collatio , quamvis decentius fiat „ in fructibus „ .

„ Sylvius in 2. 2. *q.* 147. *a.* 6. *quæritur* 2. Consuetudini standum est, „ quantum ad qualitatem ejus, quod pro collatione sumitur. Modicum „ panis accipi potest, vel seorsim, vel una cum fructibus, herbis, aliis- „ que cibis levioribus, cujusmodi sunt ficus , uvæ , nuces , poma , vel „ alia ex saccaro condita : imo & aliquid casei , vel butyri , ubi ita „ consuetudo obtinuit, non est illicitum „ .

„ Vide etiam Lavorim *tr. de jubileo p.* 1. *c.* 2. *n.* 10. Bejam *p.* 1. *cas.* „ 3. *Sylvestr. verb. jejun. q.* 3. *n.* 10. Rodriquez *in Sum. tom.* 1. *cap.* 23. „ *n.* 8. Medinam *in Instruct. Confess. lib.* 1. *c.* 13. §. 10. Lamas *in Sum. p.* „ 3. *cap.* 5. §. 24. Ortiz *in Sum. c.* 19. *n.* 10.

XIX. Consideres velim Dianæ diligentiam , atque zelum in conquirendis benigniorum Casuistarum sententiis, ut efficacius evinceret consuetudinem manifestam sumendi in collatione serotina panem, bellaria, aut fructus tantum , rejectis piscibus , ovis , & lacticiniis . Audias nunc velim ejusdem conclusionem , quam ibidem continuo subjicit . *Ex his omnibus apparet : sine ratione , & fundamento contra communem Doctorum sententiam loquutum fuisse Bonac.* de leg. disp. ult. punc. 3. q. 1. n. 3. *ubi asserit , in serotina collatione , non tam cibi qualitatem , quam quantitatem attendendam esse : nam ut supra ex omnium Theologorum authoritate probatum est, qualitas cibi in refectiuncula frangeret jejunium: & ita sentiunt plures Patres nostræ Religionis , & ex Societate Jesu a me de hac re consulti . Unde minime dubitandum est , contrarium facientes peccare mortaliter , & frangere jejunium . Scripsi hæc ad COMPRIMENDAM AUDACIAM aliquorum , qui ex auctoritate Bonacinæ contrarium sententiam in praxi consulere audebant , quæ quidem sententia NON EST PROBABILIS , SED FALSA , quia est destituta rationibus , & est contra communem , ut visum est : ergo &c.* Audistin quanto succensus igne fuerit vel ipse qui vocatur begnignissimus novæ probabilitatis agnus adversus laxiorum Casuistarum audaciam ? Quid , quod quatuor alias Resolutiones , nempe 117. 118. 119.

120. a-

120. adornavit contra improbabilem, falsamque opinationem?

XX. P. Leander a SS. Sacramento *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 41. hæc scribit. *Tanquam certum mihi respondeo, quod in collatione non liceat uti piscibus recentibus.* Primo, *quia consuetudo omnium tam Doctorum, quam vulgarium hominum usque ad hæc nostra tempora oppositum tenuit, ut constat: ergo illam excedere non erit licitum, sicut non est licitum legem excedere. Nam consuetudo vim legis habet.* Secundo, *quia collatio propter consuetudinem dumtaxat est licita. Sed sic est, quod nunquam sint introducti pro collatione pisces, præcipue recentes: ergo illos manducare illicitum erit.* Tertiò, *quia sic tenent communiter Doctores.* Syllabum texit Doctorum plurium, quos brevitatis gratia prætereo. Argutationes P. Pasqualigi in hac materia proscripti diluit Leander. Adeo futiles sunt, ut illas negligere opportunum duco. Quod enim ineptius his argutiolis, quibus contendit, ideo pisces, secus fructus adhibendos, quod hi stomachum debilitent, secus illi? quod pisces minus nutriant, quam nuces? Qui istorum confutationem avet, Leandrum legat. Piget enim in his quisquiliis tempus terere.

XXI. Quærit P. Leander *q.* 42. Utrum saltem liceat in collatione uti pisciculis fumo exsiccatis, saleque conditis? Ejus decisio hæc est. *Ut mihi certum respondeo non posse, quia nec ratio, nec usus virorum prudentum, & timoratæ conscientiæ ad contrarium tuendum urgent, ut constat, cum sit omnino contrarius. Sic communiter Doctores citati pro prima sententia.*

XXII. Quoniam in capitis titulo spopondi hanc sententiam me fore potissimum Theologorum Hispanorum auctoritate confirmaturum in medium profero *Collegium Salmanticense* Ord. Carmelitarum Discalceatorum. Hi perdocti, piique Theologi *tract.* 23. *cap.* 2. *punct.* 3. §. 3. *n.* 8. hæc scribunt. *Communis Doctorum sententia docet, non esse materiam collationis pisciculos parvos, sive recentes sint, sive fumo siccati; quia cum collatio serotina consuetudine sit introducta, etiam consuetudini standum est circa cibos, qui ejus materia esse possunt. Sed nullibi est consuetudo introducta sumendi in ea pisciculos parvos, ut testantur, Villalobos, Azor, Palaus, & alii infra citandi: ergo eos sumere non licet. Ulterius: nam pisces ex se ordinati sunt ad nutriendum, & sustentandam naturam; ergo eis non licet*

uti

uti in collatione serotina. Sic Sanchez, Ledesma, Trullenchus, Villalobos, Palaus, Lezana, Fagundez, Diana & alii. At numquid, inquies, graviter delinquet qui comedet unam haleculam, aut alium pisciculum fumo exsiccatum, salitumve? Quid gravem ob rudis culpam? Peccaret sane communi Probabilistarum consensu; sed graviter, aut leviter juxta materiæ gravitatem. Peccaret potissimum, quod viam corruptelæ aperiret. A parvo pisciculo concesso ab Azorio progressum est ad pisces recentes, & magnos. Plura, si ibi gradum sisterent unde initium capiunt, permitti possent. At quia ulterior progressus communiter consequitur, ideo cavendum magnopere est, ne vel levia permittantur, dum abusibus, & corruptelis invehendis causam præbent.

XXIII. Disputant tandem docti Recentiores, liceat ne in collatione vespertina casei, lacticiniorum, & ovorum usus, ubi hæc in prandio licita sunt? Licere usum casei defendunt aliqui, ut Laymanus, Ghetius, Pasqualigus, Sylvius eo quod caseus inter fercula non reputetur, soletque cum bellariis inter secundaria mensæ dona apponi. Verum communis sententia oppositum docet. Et benignissimus. P. Leander *loc. cit. q. 44.* inquit. *Tamquam certissimum mihi respondeo, non esse licitum in prædictis diebus jejunii caseum, vel aliud quodcumque ex lacte confectum in collatione serotina. Quia consuetudo huc usque esum casei, & aliorum lacticiniorum non introduxit in collatione.*

XXIV. Ad ova quod attinet, tam Antiqui omnes, quam Recentes communiter non negant modo licitum ovorum usum, sed contrariam opinionem vocant improbabilem, falsam, & scandalosam. Audiamus Leandrum *loc. cit. q. 46. Ut certissimum mihi respondeo,* non posse ova licite in collatione adhiberi, quia hucusque non est introductus usus ovorum in refectiuncula .... Hanc nostram sententiam tenent omnes Doctores antiqui .... tenent etiam ex Modernis Sanchez, Villalobos, Ledesma, Bossius, Angles, Antonius de Leon. Tandem ipse Leander citat P. Luysium Turrianum Thelogum Hispanum Inclytæ Societ. Jesu, qui oppositam sententiam vocat *Scandalosam, temerariam, & contra bonos mores.* P. Diana similiter, ut falsam rejicit.

XXV. Ex quibus omnibus hanc colligo argumentationem. Licet Theologorum paucissimi permittant in collatione vespertina pisciculos

los parvulos, fumove exſiccatos, aut ſale maceratos; tamen omnes, non modo antiqui Theologi, verum etiam vel Benigniores, ne dicam laxiores Probabiliſtæ, qui nullum non moverunt lapidem ut jejunii ſeveritatem delinirent, laxarentque, negant licitum eſſe comedere aut piſces recentes, aut ova in prandio permiſſa. Potiore itaque jure damnant eſum carnium. Ergo Pontificium Reſponſum non modo antiquæ, verum etiam recenti Diſciplinæ conſentaneum eſt; eidemque non modo priſci omnes, verum etiam Recentiores, & Theologi, & Caſuiſtæ ſuffragantur. Negant illi licitum uſum piſcium, aut ovorum, quod hæc fercula conſtituant ex primaria intentione ad naturam nutriendam, ſaginandamque inſtituta. Sed carnes omnium eſculentorum fercula efficiunt lautiora, exquiſitioreſque epulas. Ergo urgentioribus rationum momentis a ſerotino jentaculo rejiciuntur. Quid, quod pauciſſimi illi Probabiliſtæ, nempe P. Paſqualigus, & P. Marcus Vidal, ambo proſcripti, ideo defendunt cum nonnullis aliis Caſuiſtis licitum eſſe edere aut piſces, aut ova ubi permittuntur, quia ova, aut reputantur inter bellaria, aut minus nutriunt, quam carnes. Ergo iſtorum quoque Probabiliſtarum converſione uſus carnium permiſſus in prandio minime licitus in veſpertino jentaculo eſt.

XXVI. Tandem admiſſo carnium eſu in veſpertina collatione, tota aufertur Eccleſiaſtici jejunii imago. Nam qui eſſent Theologi, qui licitas in collatione carnes aſſererent, oppido magis admitterent quantitatem octo aut decem unciarum, quam plurimi Probabiliſtæ propugnant, ut vidimus. Quid tum? Lautiſſimum pro ſobrio ſtomacho cœnam efficeres? Duas habens panis uncias: medium pullum columbarum trium unciarum, oſſibus detractis, pro primo ferculo. Turdum duarum unciarum, aut duas phaſiani, vel perdicii: uncia ſupereſt bellariorum. Si latior venter ſit adjicere poteris, quin graviter pecces, auctarium duarum unciarum, ut compleatur ad ultimos uſque limites collatio Probabiliſtica. Næ iſtud egregium jejunium? En quo recidit nova *probabilizandi* ſeu argutandi ratio. Nonne hæc jejunii forma tum Catholicis, tum hæreticis ſcandalum pateret? Hoc eodem argumento Probabiliſtæ benigniores improbant in collatione ovorum uſum. Audi Leandrum *loc. cit. q.* 46. *Si quis licite poſſet uti in refectiuncula ovis, licite certe, aut ſaltem*

saltem absque fractione gravi jejunii posset in ea sumere duo, imo tria ova, cum duabus, aut tribus unciis panis, cum tota haec quantitas non excedat octo, aut novem uncias: At hoc asserere est scandalosum, & temerarium, ut patet. Quis namque fidelis cujuscumque fuerit conditionis non scandalizaretur videns alium fidelem in die jejunii vespertina in refectione se pari ovorum cibare? Nec est quod reponas. Quid si in parva quantitate trium, aut quatuor unciarum carnes comederentur in refectiuncula serotina? Etiam hoc in casu te graviter peccaturum evidenter ex iis quae dicta sunt colligitur. Qualitas enim ista communi Theologorum assensu exclusa est a serotino jentaculo.

XXVII. Ad argumenta, seu verius sophisticas argutationes §. 1. hoc est responsum. Primum etiam permissa probabitate sententiae concedentis licitum ovorum usum, non propterea sequeretur licere carnes manducare. Nam ideo laudati Authores licita ova defendunt, quia minus, quam carnes nutriunt. Ergo ex licito illorum usu, non sequitur licitus usus carnium. Caeterum pernegamus aliqua vel minima frui probabilitate oppositam sententiam, quam ut falsam, temerariam, scandalique plenam communi assensu rejiciunt vel ipsi begniores Probabilistae Diana, Leander, Turrianus, caeterique. Ipsemet P. Thomas Tamburinus alter benignitatis princeps scribit *lib.* 4. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 5. Ova adeo ex diametro opposita esse jejunio, *ut vix umquam invenias, qui videns fidelem vespere ova comedentem, judicet eum jejunare.* Ergo a fortiori collationi vespertinae carnes repugnant. Accedit, quod oppositae sententiae Patroni nullius omnino sunt authoritatis. Duo praecipui nempe Pasqualigus, & Marcus Vidal ob extremam opinandi laxitatem proscripti sunt. P. Sporer est merus aliorum Authorum praecipue Tamburini, a quo methodum mutuatus magna ex parte est, collector, & quidem minus diligens. Nam hic laudat *Cajetanum expresse* docentem, licitum esse piscium, & ovorum usum, cum tempore Cajetani tantum de fructibus, aut pane, secus de piscibus, aut ovis disputaretur. Et ab hac impostura, quam eidem impingit P. Sporer, cum aliis vindicarunt vel ipsi PP. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *c.* 1. *n.* 9. Leander *q.* 42. Azorius, Bossius, & alii. Lege Caietanum ipsum 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *& in sum. verb. jejun.* Quid quod nec ipse Bona-

cina

cina ova concedit? Numerus ergo Patronorum laxiſſimæ opinionis reſtringitur ad Marchantium, Sporerium, Lamas, Machadum, & Ghettium, qui & abſolute minimæ ſunt authoritatis, & ſi conferantur cum omnibus antiquis, & cum Probabiliſtarum multitudine oppoſitum docentium, nec conſideratione digni ſunt.

XXVIII. Tandem *Reſponſum Pontificium* ſententiam noſtram extra diſputationis aleam, & in ultimo evidentis certitudinis gradu conſtituit. Hoc ſolum Reſponſum pro ſuprema deciſione nobis eſt. Quæ in medium attuli eo ſpectant, ut quorumdam auſus reprimant, qui minime verentur aut arbitrarii, aut nimii rigoris vel ipſas Pontificias Declarationes poſtulare. Idcirco, ut compertum fieret, quam ſit Diſciplinæ tum vetuſtæ, tum recenti dictum Reſponſum conſentaneum, Recentiorum Probabiliſtarum placita expendere operæ prætium exiſtimavi.

§. VI.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus
„ utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ
„ conſcientiæ.

Qualitas, & quantitas cibi ſumendi in collatione veſpertina.

XXIX. DUO, ut diximus, documenta continet Pontificium Reſponſum. Primum carnes rejicit. Et de hoc hactenus. Alterum qualitatem, & quantitatem eſculenti in collactione capiendi indicat his verbis. *Sed opus habere eo cibo, eaque uti portione; quibus utuntur homines jejunantes &c.* Hanc ſecundam Reſponſi partem breviſſime expono. Et quod attinet ad qualitatem cibi, jam communi Probabiliſtarum auctoritate demonſtravi excludendos eſſe a præfata collatione cujuſque generis piſces, ſive magnos, ſive parvos, ſive recentes, ſive

fumo

fumo exsiccatos, & potiori jure lacticinia omnia, ubi permittuntur. De hoc amplius disputandum non est; fusius enim superiore paragrapho textus Dianæ, Leandri, aliorumque benigniorum Theologorum rescripsimus.

XXX. Recentium Theologorum, maxime Probabilistarum acumen nihil intentatum neglexit, ut jejunii austeritatem deliniret. Cum non potuerint in serotino jentaculo permittere sive pisces, sive pisciculos, sed solos fructus, bellaria, herbasve cum pane; disputare cœperunt, liceret ne saltem hæc omnia simul permiscere, & aqua adjecta coquere, aut sine aqua ignis calore ex iisdem jusculum extrahere, & iniecto pane offam efficere? Escobarius, Pellizarius, & Leander *loc. cit.* q. 35. adfirmant de pane madefacto, vel jusculo cocto. Negant Filliucius, Layman, & alii. De herbis elixis aqua sale, oleo, acetoque conditis vulgo *insalata* negant antiqui omnes, & insuper Navarrus, Vega, Vivaldus. Adfirmant vero Leander, Bossius, Layman. Eademque disputatio fervet super jusculo ex herbis, pane, fructibusque expresso, oleo, saleque condito. Acrius disputant super cremore amygdalino, vulgo *mandorlata*. Adfirmantem opinionem defendit more suo Pasqualigus in suo proscripto de jejunio opere, aliis citatis. Sed negant Layman, Sanchez, Trullenchus, Filliucius, Lezana, Bossius, Leander, & alii communiter, causa justa sublata.

XXXI. Hæc sunt Recentiorum Theologorum super qualitate jentaculi sumendi certamina. Quæ de unciarum quantitate disputant, supra narravi. Omnia hæc subtilissima mihi videntur eludendæ legis commenta, & gulæ demulcendæ artificia. Quid? Permittam ne ego præfata omnia, nempe mixtionem fructuum, herbarum, & ex eisdem expressa ignis calore jusculа, & quantitatem octo unciarum? Damnabo ne illa lethalis culpæ? Aqua hic hæret, & quasi ira inardesco adversus Probabilistas, qui nos ad ejusmodi angustias redegere. Tanta disputationum certamina, ut latebre jejunio quærantur? Nihil ætate nostra bona fide, & simplici Christianæ pœnitentiæ spiritu decidendum? Nihil majorum nostrorum consuetudini deferendum? Omnia veluti supremi mundi Principes indicto ex utraque parte bello dirimemus? Continenter gladium lethale distringemus, ubique clamantes:

eft, & non eft peccatum mortiferum. Ad Tartara defcendes, fi hoc egeris: portum attingens fi abftinueris? Fateor me non leviter commoveri, dum fimilia lego in Recentioribus non paucis, qui Sanctorum Patrum, & antiquorum Theologorum doctrina, & ingenua illa, ut fic dicam, fimplicitate, aut contempta, aut neglecta, omnia in difputationem, omnia in contentionem, omnia in difcrimen adducunt; & verfatili probabilitatis mucrone victoriam gulæ, & appetitionibus humanis fere femper afferunt. A fpecie mali nos abftinere S. Paulus jubet. Culpa eft: ergo cavenda inquiunt Patres omnes. Non adeo illis frequens difputatio, fit ne mortalis, aut venialis culpa: fed omnes nervos eo intendunt, ut culpæ omnes vel leviores vitentur, fcientes, quod hæ ad graviora pertrahant. Contra Recentiores Probabiliftæ continenter bilances in manibus habent, ut venialia a mortalibus fegregent. Paffim ex tripode decidunt: hoc eft mortale, hoc veniale. Quæ decifiones fæpe temeritate non vacant, cum frequentiffime ejufmodi confinia nos lateant. Et quod pejus eft. Venialia vix curant. Cum S. Paulo itaque, & Patribus dicendum. Culpa eft. Ergo deteftanda. In laudato noftro opere infcripto, *La Difciplina Antica, e Moderna della Romana Chiefa &c.* extrema rigoris, & laxitatis declinanda propofui. Octo, vel decem uncias, aut quartam partem cœnæ extremum eft laxitatis omnino vitandæ. Quoniam hæc quantitas bene parata, ac in portiones tributa, fobriam cœnam porrigit. Solus panis, aut folæ herbæ, aut fructus unius tantum generis, ut tempore S. Antonini, Toftati, Cajetani, & S. Caroli Borromæi mos vigebat, alterum extremum nimii fortaffe rigoris apparebit. Propterea his declinatis, tres circiter uncia panis, fructuum, herbarumque affignavi veluti medium inter utraque extrema. Quid? Evafi ne propterea Rigorifmi cenfuram? Minime gentium. Quamvis & a natura ipfa ad benignitatem comparatus fim, & Evangelica imbutus doctrina, malim de nimia mifericordia, quam de nimia feveritate Deo rationem reddere. Quid in præfens novis adferam?

XXXII. Pauci me expediam. Homines bene morati non pauci plus jufto timent. Chriftiani criminibus obnoxii plus æquo audent. Illi libra accepta, fuper fecula minima vitilitigant. Ifti concupifcentiæ

lena

lena conciliatricula dolos deglutiunt, sin ad satietatem, saltem ad sobriam moderatamque cœnam. Sat illis est, si cum aliqua fame a mensa surgant. Illudque admirationis cuiusque limites transilit, quod isti, qui & graviorum culparum pondere gravati, & impotentiori libidine, cupiditate, aliisque pravis habitibus inquinati, pœnitentiæ fræno summopere indigent tum ut peccata futura devitent, tum ut debita gravissima Divinæ Justitiæ solvant, omnia effugia captant, ut cuiusque veræ pœnitentiæ onus excutiant, ut ipsam jejunii legem deludant. Si istos reducere in pœnitentiæ semitam tentaveris, aquam cribro hauries. His itaque dimissis, Regulam prudentissimam, quam in suo Responso præbet BENEDICTUS XIV. feliciter regnans, exequendam inculco, illamque pauci explico. *Respondemus . . . opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes* [illegible] *meticulosæ conscientiæ*. Quinam est cibus, quo vescuntur Christiani [illegible] conscientiæ? Fructus, herbæ, panis. Quænam quantitas? Tres aut ad summum quatuor unciæ. Qui hoc asserunt? Ipsi benigniores Probabilistæ, & celebriores Medici. Audi Jacobum Graffium 1. *p. Decis. lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 25. *Dicta collatio fieri potest sumendo vel parum fructuum, vel ficuum, vel panis solius, v. g. duarum, aut trium unciarum*. Audi Joannem Azorium *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 8. *An vespertina refectiuncula certa & definita cibi quantitate, & qualitate constare debeat? Respondeo debere, alioqui in cœnam transiret. Quare solum edi possunt quæ ante, vel post prandium, aut cœnam alias sumi solent, quale sunt fructus arborum, herbæ, & alii quidam fructus leviores sumi soliti; ea tamen ratione, ne stomacho potus noceat, & in quantitate, quæ modica censeatur, qualis est panis quantitas, quæ trium unciarum, aut quatuor est*. Quid, quod ipsi Probabilistæ molliores, qui quantitatem amplificant ad sex vel octo uncias, advertunt, Christianos bene moratos non excedere tres, aut quatuor uncias. Ita testatur vel ipse P. Leander *q.* 12. referens testimonium Molfesii *in sum. tract.* 10. *cap.* 3. *n.* 7. *Largior concessio a sex unciis infra eorumdem ciborum, quibus vesci licet in Quadragesima. Viri tamen timorati non excedunt, vel quatuor uncias*. Quid quod celebriores Medici severius loquuntur. Paulus Zacchias *lib.* 5. *tit.* 1. *q.* 9. *n.* 16. *Quantitas cibi in jentaculo assumendi, ne jejunium frangatur, tam respectu sitis, quam so-*

F 2 *mni*,

uni, & consuetudinis, restringenda est ad modicum quid, quod UNCIAS DUAS, aut TRES ad summum non pertranseat. Zacchias, Condronchius, Hecquet Clarissimi Medici sibilis excipiunt opiniones laxas sex aut octo unciarum, deridentque Casuistas, qui tantam quantitatem se permittere ajunt ob naturæ debilitatem, &, ut prostratis viribus remedium conferant. Mos innumerabilium fidelium, & Religiosorum conscientiæ rectæ meticulosæ, qui definitam quantitatem non excedunt falsitatis evincunt prætextus allegatos. Hæc omnia in citato nostro opere *p.* 1. *cap.* 5. §. 4. explicui. Et tamen, ut dixi, non defuere qui nos nimiæ austeritatis incusaverint. Sed grates Deo habendæ, quod Supremus Ecclesiæ Hierarcha hanc regulam confirmaverit. Prudentissime limites unciarum ipse non definivit, quia materia hæc individuos limites non excipit. Medium quoddam præstituitur, seu meta, ad quam plus, minusve boni fideles suam conformare refectiunculam debent. Si bona fides vigeret, cujusque conscientiæ res hæc permitteretur. Verum quia homines impotenter ad laxa semper feruntur, idcirco limites aliqui figuntur, ultra quos prætergredi plus minusve non liceat. Quantitas a nobis præfinita trium, aut quatuor circiter unciarum recedit tum ab extremo laxitatis octo aut decem unciarum, tum ab opposito extremo unius, aut alterius unciæ. Et tandem hæc est quantitas, quam testibus Probabilistis, *viri timorati non excedunt*. Porro Pontifex Summus præscribit, nos *opus habere eo cibo, eaque uti portione*; *quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ*. Advertas velim quanta prudentia adiectæ sint hæ duæ voces *rectæ meticulosæ conscientiæ*, ut excludantur a regula imitanda conscientiæ non rectæ, sed ad superstitionem meticulosæ, seu scrupulis, umbris, spectrisve agitatæ aut laxæ. Recti ergo consilii, & prudenter moratæ conscientiæ homines jejunantes imitari debemus. Ejusmodi autem sunt, quales nos descripsimus.

XXXIII. Cum hæc adeo perspicua sint, & Pontificia etiam auctoritate firmata; quid causæ est, quod hanc ipsam sententiam nostram tanta moderatione, cautioneque circumscriptam plures nimii rigoris postulent? Respondeo, libros recentissimos quorumdam Casuistarum tantorum esse malorum causam. Docti piique Authores optimo fine alle-

allevandi Jugum Christi, & faciliorem reddendi Paradisi viam, legem laxarunt. Et quamvis ab integro, & amplius sæculo declamatum sit adversus hanc laxitatem fuco benignitatis delibutam; nihilosecius Theologi Recentiores, qui hac nostra tempestate post damnata a Summis Pontificibus centenas & amplius propositiones, opera Moralia edunt, laxiorum Probabilistarum pronunciata transcribunt, & in compendium redacta imperitis lectoribus pia, ut dixi, intentione porrigunt. Unum Recentissimum nomino P. Dominicum Viva. Nullus dubito, quin futuri sint, qui me invidentiæ, odii, pravique animi detrahendi Clarissimi viri famæ accusabunt. Verum qui me judicat Deus est. Ille scit, solo fine retegendæ veritatis, & Christianos æternæ salutis periculo subducendi, me hæc scribere. Non adversus Doctum, piumque P. Viva, quem colo, suscipioque; sed adversus illius laxam doctrinam sæpe calamum acuo. Si fallor, & illius doctrina laxitatis expers sit, ostendatur, & in antecessum, quæ scribo, retracto. Interim Textum P. Viva transcribo, in quo quidquid laxitatis scripserunt hactenus hoc de argumento antiquiores, benignioresque Probabilistæ, ille collegit. Hæc quippe scribit in *suo Curs. Theolog. tom.* 1. *p.* 2. *q.* 10. *a.* 3. „ Verum „ Bonacina de jejun. *q. ult. punct.* 3. Cajetanus, Sot. aliique apud „ Dian. *part.* 9. *tract.* 6. *Resol.* 8. cum Tamburino *Probabiliter* putant, „ posse sumi octo uncias ex pane, & piscibus sale coctis, nec non ex „ pultibus, seu minestris. Immo permittunt etiam aliquid casei, cui „ permittunt lacticinia. Excludunt autem ova, utpote magnæ substan„ tiæ, & nutritionis, & ex diametro opposita jejunio. Contra vero, „ quia non est certum consuetudinem sumendi jentaculum introductam „ esse sub hac stricta necessitate, ut non possit nisi panis cum fructi„ bus, aut herbis comedi; ideo etiam pisces sale cocti, & minestræ „ permitti possunt, dummodo cum pane debitam quantitatem non ex„ cedant. *Certum enim est, jentaculum sumi posse. Dubium vero, an hi* „ *cibi substantiales sint exclusi? Igitur prævalet libertas illos sumendi. Sic* „ *discurrit Tamburinus:* cujus sententiam non amplecterer, nisi putarem „ consuetudinem jam introductam, ut etiam exigua parte piscis majo„ ris, ut loquitur Bonacina *loc. cit.* non tamen ovis in refectiuncula „ cum pane vesci possimus in debita quantitate *octo unciarum*, quam si

„ quis parum excederet addendo *unam , vel alteram unciam* ex Filliu-
„ cio, Leandro, & aliis apud Dianam *loc. cit. resol.* 15. nonnisi venia-
„ liter peccaret, *propter parvitatem materiæ* superadditæ , dummodo a-
„ lias eodem die parvitatem materiæ non sumpserit . “

XXXIV. Ambo & quantitatis & qualitatis laxa extrema in hoc suo textu perstringit P. Viva . Si quantitatem spectes , docet quidquid laxius hactenus dictum est , nempe decem esse posse vespertini jentaculi uncias . Octo absque peccato veniali , & decem cum veniali noxa . P. Pasqualigus, cujus opus hoc de argumento damnatus propter nimiam laxitatem est, de octo unciis scribens *Dec.* 91. *n.* 5. inquit. *Absolute autem, qui nulla habita ratione complexionis sumeret octo uncias , non damnarem saltem peccati mortalis: quia ad summum parum excederet debitam mensuram, si illa esset tantum sex unciarum.* P. Viva , ut etiam in hoc puncto patefaceret , quantum sit in benignitate propensus , ultimos benignitatis terminos complexus est, quos fixerunt Leander, & Filliucius. Quia vero Leander, & Filliucius rejiciunt a vespertina collatione pisces, lacticinia, ova, caseum &c. eos deserit veluti Rigoristas, & ad suum se recipit Tamburinum, qui opinionem docet juxta P. Dianam improbabilem, falsam, temerariam, & scandali plenam, videlicet licere in serotino jentaculo sumere pisces sale coctos, & etiam partem piscis majoris ex Bonacina caseum, pulmenta, seu *minestras*. Hanc opinionem, ut improbabilem rejiciut omnes, non modo antiqui, sed etiam Probbabilistæ recentes, paucissimis exceptis. P. Viva autem, ut hanc laxam opinionem propagaret, fuco probabilitatis eam depingit . *Cum Tamburino Probabiliter putant* : unde habes hanc opinionem *Probabilem* esse? Ab authoritate? Non. Quoniam ex Diana , & Leandro transcripsimus textus benigniorum Probabilistarum ? Ab ipsa natura jejunii ? Pejus . Intuere jejunii tui instructam mensam. Appono duas uncias sive panis, sive leguminis pro pulte seu *minestra* . Duas alias panis uncias ad manducandum cum obsonio . Duas unius acipenseris elixati , & duas alias uncias trutæ assæ. Si latior venter fuerit , addam absque gravi jejunii læsione duas alias bellariorum, sive fructuum uncias. Merum autem ad satietatem , quia liquida non frangunt. Hoc est jejunium tuum. Næ isthæc nativa Quadragesimalis jejunii gulam cohibentis , carnem macerantis imago ? Unde

de ergo habes, Tamburini opinionem esse Probabilem? Numquid heinc? *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri Probabilis, dum non constet rejectam a Sede Apostolica tamquam improbabilem*. At hæc opinio ab Alexandro VII. damnata est. Numquid ex altera? *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a Probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Verum & hæc damnata est ab Innocentio XI. quamque Tamburinus conceptis verbis docet *lib.* 3. *in Decal. c.* 3. §. 2. *n.* 3. Tenuissimæ ergo ad summum probabilitatis esset præfata opinio atque adeo proscripta. Unde tandem colligis probabilem esse Tamburini opinionem? Ex consuetudine? Scilicet. *Cujus* (inquit P. Viva) *sententiam non amplecterer, nisi putarem consuetudinem jam introductam, ut etiam exigua parte piscis majoris . . . . cum pane vesci possimus in debita quantitate OCTO unciarum, quam si quis parum excederet addendo unam, vel alteram unciam, nonnisi venialiter peccaret*. Consuetudo hæc appellatur? Turpis est corruptela, non consuetudo. Quænam consuetudinis prerogativæ necessariæ? Ut non adversetur bono communi, seu fini proximo legis. Ut Superioris auctoritate approbetur. Ut populi, non prævaricantis, sed recte morati praxi firmetur. Hæ omnes conditiones desunt collationi, quam obtrudit P. Viva. Adversatur fini proximo, seu intimo, immo naturæ ipsius jejunii. Christiani omnes rectæ conscientiæ eidem repugnant. Eam omnes & antiqui, & moderni Probabilistæ, paucis exceptis, detestantur, ut allatis illorum verbis ostensum est. Ergo non consuetudo, sed immanis corruptela est. Ratiuncula, quam ex Tamburino transcribit totidem verbis P. Viva, ineptum sophisma est. *Certum est jentaculum sumi posse*. Verum habet. *Dubium vero an hi cibi substantialis sint exclusi*. Quid inde? *Ergo libertas prævalet illos assumendi*. Consequentia falsa, & erronea. Dubium est, an hi cibi substantiales jejunium violent? Jejunii lex certissima est: ergo lex certa adversus consuetudinem dubiam, non consuetudo dubia adversus legem prævaleredebet, omnibus Probabilistis consentientibus. Consuetudo, quam opponit P. Viva, est corruptela plurium Christianorum, qui absque ulla vera necessitate dispensationem edendarum carnium impetrant, qui quidquid aliud cogitant quam gulæ contradicere, quam

F 4 appeti-

appetitiones cohibere, & corpus abstinentiæ severitate macerare. Actum de omnibus sanctioribus & legibus esset, si plurimorum fidelium praxis consuetudinis legem abrogantis vim haberet. Illud tandem, quod displicet in P. Viva, & quod Lectoribus recordor, est, quod passim Authoribus Dominicanis errores impingit. Cajetanus pro laxa sententia octo unciarum & piscium citatur, cum exploratum sit, Cajetanum disputare solum de licito panis, vel fructuum usu, ut Laymanus, Leander, & cæteri adverterunt. Nec lectio apud Dianam suffragatur, quia in re gravi, & quando de primo, & gravissimo authore alicujus sententiæ disputatur, fons adiri debet. Sed passim P. Viva, ut sibi caveat, authores allegat apud Dianam, apud Tamburinum, apud Sanchez. Sed hoc non est authoris, inquiunt Cardenas, Navarrus, & aliij, sed collectoris, meri summistæ, & librarii. Hæc recogitent qui nobis imponunt per summam calumniam textuum alterationem, quin unquam id evincere potuerint. Tandem ultimo loco laxam opinionem refello auctoritate Pontificii Responsi. Eam Pontifex Summus qualitatem, & quantitatem cibi approbat, quo uti solent *ieiunantes rectæ meticulosæ conscientiæ*. Ergo non approbat, sed improbat qualitatem, & quantitatem, quam jejunantes laxioris conscientiæ adhibent. Hi enim in vespertino jentaculo sumunt portionem piscis etiam majoris, caseum, pultes, *minestras*, usque ad octo, aut decem uncias, ut docet P. Viva. Hoc est autem ultimum laxitatis extremum a quo sane distant jejunantes *rectæ meticulosæ conscientiæ*. Ergo opinio P. Viva utriusque generis & qualitatis, & quantitatis extremam laxitatem comprehendit: atque adeo undequaque improbabilis, & falsa est.

C A-

CAPUT V.

POSTULATUM III.

„ An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur , & „ unica comestione uti debent , horam jejunantibus „ præscriptam servare opus habeant?

§. I.

Rationes , quæ præfatæ quæstioni viam aperire fortasse potuerunt .

I. EXcitatæ quæstionis causam revera ignoro . Admisso quippe præcepto unicæ comesturæ servandæ , etiam ab iis , qui carnibus vescuntur , consectarium necessarium est hora jejunantibus præscripta solvendum jejunium esse . Si conjecturis indulgendum sit , id fortasse in causa fuit , quod Recentiorum Probabilistarum plures negant aliquod reperiri præceptum , aut consuetudinem , quæ sub gravi culpa horam sumendæ comestionis præstituat . Hanc opinionem intrepide propugnat P. Thomas Tamburinus *lib.* 4. *in Decal. cap.* 5. §. 4. *n.* 2. his verbis . „ Ajo primo , non esse de essentia jejunii Ecclesiastici , nec de præcepto horam comedendi meridianam . Non de esseneia . . . . quia jejunii „ essentia est solum unica comestio (*animadvertant Authores Diatribæ* , „ *Dissertationis* , *Defensionis*) cum abstinentia a certo genere ciborum . . . „ Non de præcepto vel consuetudine obligante , quia quamvis non nemo illam quærere satagat , nunquam invenit tamen . Ajo insuper , „ horam consequenter non esse mortale prædictam anticipare , etiamsi „ comedatur summo mane „ . Laudat pro hac opinione Layman , Filliucium , Bonacinam , Toletum .

II. P. Dominicus Viva raro a benignitate P. Tamburini recedit , quin passim illius placitis subscribit . Præfatam ejusdem opinionem & pau-

paucioribus verbis, & decretorie divendit in *Curs. Theol. tom. 1. p. 2. q. 10. a. 2.* his verbis. *Falsum etiam est dari aut præceptum, aut consuetudinem graviter obligantem ad non anticipandam comestionem ante meridiem.*

III. Fatendum tamen præter recentiores Probabilistas antiquorum aliquos hanc eamdem propugnasse opinionem: ut Alexander Alensis, Gabriel, Angelus, aliique. Plurimos ex Recentioribus laudat Leander, qui sua versatili probabilitate in utramque partem rem probabiliter disputat.

§. II.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Edicimus observandam iis esse.

Hora solvendi jejunii Ecclesiastici est præter propter meridiana.

IV. Pontificium ergo Rescriptum edicit observandam esse iis, qui carnibus vescuntur, horam jejunantibus præscriptam. Quare nec ambigendum amplius videtur horam hanc sub præcepto cadere. Quænam hæc sit, indicandum. Paucis rem universam perstringam. Primis Ecclesiæ sæculis circiter vesperas jejunium solvebatur, quæ consuetudo alibi usque ad octavum, alibi usque ad decimum, & amplius sæculum obtinuit, etiam in Ecclesia occidentali. Intervallum vesperarum tum tribus constabat horis Solis occasui proximioribus. Tres aliæ, quæ meridiem consequuntur, Nonæ spatium constituebant. Tempore S. Thomæ, nempe sæculo XIII. hora nona jejunantes reficiebantur. Paulatim mos immigravit in meridiem, qui nunc viget.

V. Nullum urgere præceptum, nullamque consuetudinem, quæ sub gravi culpa differre ad hanc circiter horam prandium obliget, ideo ostendere conantur Recentiores, quod hora sumendæ refectionis ad essentiam, seu substantiam jejunii non pertineat: est enim illius conditio tantum. Ergo, hora neglecta, natura consistit jejunii. Nulla futilior

lior argutatio in morum controversiis, quæ a libera legislatoris voluntate pendent ciborum. Nec illorum delectus juxta veram sententiam ingreditur jejunii essentiam, sed appendix est eidem libera voluntate addita. Horæ istius observantiam fatemur conditionem esse jejunio adiectam. Quid inde? Propterea ne præscribi sub gravi culpa ab Ecclesia non potuit?

VI. Eo ergo quæstio recidit, ut evincamus consuetudinem obtinere, quæ horæ istius observantiam sub gravi culpa imponat. Porro quod semper, quod ubique, quod ab omnibus in Ecclesia observatum est, sub gravi onere præscriptum esse, juxta monitum Lirinensis, convenit penes omnes. Levis quippe obligatio his prærogativis nunquam insignita fuit. Cujusque autem sæculi, & cujuslibet Christianæ nationis Scriptores clamant, jejunantes protraxisse semper aut ad vespertinam, aut ad nonam, aut ad meridianam horam refectionem solitam. Quid, quod istius horæ designatio adeo est, fuitque semper jejunio intima, ut & in veteri lege, & penes ipsos Ethnicos, Turcasque semper viguerit, vigeatque in dies. Si plura cupis, lege doctissimum, unaque piissimum Cardinalem Bona de *Divin. Psalmod. c.* 9. §. 3.

VII. Alterum rationis momentum, quod prius confirmat, habeto. Usque ad sæculum XIII. nec in disputationem vocata unquam fuit gravis istius consuetudinis obligatio. Post, Theologi & doctrina celebriores, & numero superiores consuetudinem hanc graviter obligare semper propugnarunt. S. Thomas 2. 2. *q.* 147. *a.* 7. *ad* 2. *Ad jejunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem examinationem*. Durandus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 10. *n.* 4. inquit: *ægros jejunii lege esse solutos, quia non possunt horam servare jejunii*, & *quæst.* 9. *n.* 7. scribit: *tempus comedendi die jejunii esse circa horam sextam*. Paludanus in 4. *dist.* 15. *q.* 4. *a.* 4. inquit: *jejunium frangitur notabili horæ anticipatione sine causa, & in Quadragesima oportet expectare non vesperam diei, sed officii*. Ricardus de Media Villa *in* 4. *dist.* 15. *a.* 3. *q.* 7. *Unde sub determinationem præcepti Ecclesiastici de jejunio non cadit nisi semel comedere in die naturali, & hora determinata, & abstinentia ab esu carnium, & ab ovis & caseo in quadragesimali jejunio*. Hic collige, quanta sit, diligentia, quam ostentat Leander in allegandis Authoribus, cum Ricardum hunc cum Scholiaste

Angeli

Angeli pro laxa contraria opinioue citet. Cardinalis Turrecremata in *caput solent de consec. dist.* 1. *dub.* 2. luculenter scribit, horam jejunii præstitutam ab Ecclesia esse. S. Antoninus 2. *p. tit.* 6. *cap.* 2. §. 10. *Tertio*, inquit, *vitiatur jejunium ex horæ nimia anticipatione*. Hoc idem docet Carthusianus in 4. *dist.* 15. *q.* 6. Major pariter *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. hæc scribit. *Tamen hora duodecima, quando sol medium cœlum conscendit, est consuetudo Christianorum comedere*. Cardinalis Cajetanus 2. 2. *q.* 147. *a.* 7. hæc scribit. *Ex hoc, quod omnes homines communiter judicant non jejunare illos, qui tam notabiliter ante consuetam horam, qua jejunantes solent prandere, comedunt, evidenter patet, quod hora consueta comedendi pro jejunio, quæcumque hora sit illa, est de necessitate jejuni .... Tenetur ergo quilibet ad consuetam horam prandii in jejunio, sicut tenetur ad jejunium ipsum*. Idem docet Sylvester *verb. jejunium n.* 9. Astensis in *Summa lib.* 6. *tit.* 28. *a.* 5. Joannes de Tabia *verb. jejun.* Rosella *verb. jejun.* Joannes Medina in *Cod. de jejun. q.* 1. & 6. & 11. Martinus Navarrus in *sum. c.* 21. Panormitanus in *Rubr. de observat. jejun. n.* 2. Ex Recentioribus vero Azorius, Graffius, Covarruvias, Angles, Vega, Fagundez, Sanchez, Lamas, Ghetius, Lavorius, Homobonus, Joannes a Cruce, Ledesma, Reginaldus, Barbosa, & ne tempus inutiliter teram, communiter omnes Antiprobabilistæ.

VIII. Tertium rationis momentum ejusmodi est. Ipsi Probabilistæ compertissimam facti veritatem fatentur, nempe semper, & ubique horæ solvendi jejunii consuetudinem viguisse in Ecclesia. Accedit, quod Patres omnes de hac hora loquentes, iis utuntur formulis, quæ perspicue gravem produnt obligationem. Eccur ergo pauci Probabilistæ oppositum afferunt? Quia hæc hora non attinet ad Formam substantialem jejunii, sed conditio est extima, & accidentalis. Hæc unica eorum ratio, quam supra obiter propulsavi, nec validiorem postulat confutationem.

IX. Postremum momentum sententiæ nostræ est universi Christiani populi sensus. Se jejunare minime fideles credunt, si nimio intervallo horam antevertant. Et si mihi libere dicendum, quod sentio, est, nulla vel minima probabilitate fruitur adversa opinio, cum adversetur communi fidelium veluti insitæ persuasioni.

X. Quam-

X. Quamquam plurima sunt eorum, quæ a voluntate libera pendent, quorum ratio nec assignari, nec jure exigi possit; tamen sententiæ nostræ hanc suscipe congruentiam, quam exhibet etiam Paulus Comitolus Theologus gravissimus *lib.* 4. *q.* 50. Jejunii intimus finis eo tendit, ut gulam cohibeat, corpusque maceret, & concupiscentiam frœnet. Ejusmodi fini non parum congruere sera hora videtur. Ergo expediens fuit eam graviter ab Ecclesia præscribi. Nec dicas, idem intervallum fluere ab hora tertia, vel quarta matutina ad alteram tertiam, aut quartam diei sequentis, ac a meridiana ad alteram meridianam. Ergo eadem est corporis afflictio, sive mane, sive circiter meridiem comedatur, cum tantumdem sit utriusque extremi intervallum fluens. Verum experientia universali compertum est, quod corpus mane a somno recreatum, non valde fame laboret: & quo tardius differtur refectio, eo acrius venter torquetur. Et communis omnium Nationum, nedum Christianorum mos differendi in seram horam jejunii refectionem, haud parvo esse momento debet.

XI. Accedit, quod admissa Probabilistarum sententia, maxima, & deformis confusio, atque perturbatio in Disciplinam jejunii inveheretur. Nam quisque pro arbitrio horam figeret, sibique deligeret, prout magis ventri congrueret. Quod sane haud leve esset jejunii legi detrimentum, & penes Christianos deformior esset jejunantium disciplina, quam apud alias gentes, quibus stata est solvendi jejunii hora. Nec est quod opponas, plures esse Regiones, ubi aut una nox, aut unus dies totum emetitur annum; alibi cœlum nubibus obductum est, Ubi Kalendarium Romanum non obtinet, quod Sol apud eos, non perinde ac apud nos, quinque diebus & sexaginta supra trecentos parte quarta diei addita, conversionem conficit annuam, non aliud jejunium Ecclesia postulat, quam quod præstare valent gentes illæ, quæ a præjudiciis Probabilisticis omnino vacuæ, jejunium illud servabunt, quod comprimendæ carnis petulantiæ est peridoneum.

XII. Quæ hactenus dicta sunt, evidenter inferunt consuetudinem Ecclesiæ, quæ solvendo jejunio horam meridianam præfixit, graviter astringere. Quod confirmari etiam potest ex principiis probabilisticis. Consuetudo certa est, constans, perpetua. Dubia autem ab eadem exem-

exemptionis libertas. Ergo libertati consuetudo, non consuetudini libertas prævalet. Quid, quod vel ipsi adversarii fatentur, culpam perpetrare venialem eum, qui nulla causa motus, hanc præverteret horam.

XIII. Tandem, si qua suspicandi ratio superesset, tota aufertur Pontificio Rescripto. Quid, quod vel ipsum Quæsitum ab Archiepiscopo Compostellano Summo Pontifici propositum, supponit gravem esse obligationem observandæ horæ jejunantibus præstitutæ. Numquid Doctissimus Archipræsul super re levi Sedem consuluisset Apostolicam? Quid, quod minime petat, utrum istius horæ observantia graviter astringat? Sed hac gravi obligatione veluti ut certa supposita, postulat, an ab iis quoque observanda sit, qui ex dispensatione carnibus vescuntur? Pro certo ergo habet observandam esse horam ab iis, qui esuriales cibos comedunt. Solumque petit, sint ne eidem obligationi obnoxii, qui ex dispensatione carnibus vescuntur. Respondet autem Pontifex. *Edicimus observandam iis esse*. Ergo sententia P. P. Tamburini, Viva, & aliorum oppositum docentium, improbabilis prorsus est, falsa, & communi Populi Christiani sensui adversa.

XIV. Quasi destinaveram subtilissimas quæstiones hic interferere, quas occasione horæ istius explicandæ Recentiores Probabilistæ incredibili acumine, & contentione agitant, ut compertior tibi esset Probabilismi genius. Quæ de horologiis horas abstinentiæ metientibus disputant, omnem fidem superant. Famosus Caramuel hoc primum theorema ponit. *Horologia solaria fere omnia concepta sunt in originali peccato. Theolog. fundam.* 10. *n.* 341. *& seq.* Peccatum originale horologiorum consequi actualia subdit. Non ergo horologia apta sunt recte horas metiri. Suos Juniores hoc in negotio obæsæ naris habet, *captivantes*, inquit, *intellectum in obsequium fidei, non autem, pace Juniorum id dixero . . . . . in obsequium hominum inexpertorum*. Si otio abundas, eum legito *loc. cit.* & plurima offendes, quæ Caramuelem referunt. Disputant, expectandus ne sit ultimus horologii ictus horam mediæ noctis designans? Adfirmat Paqualigus cum aliis. Negant e contrario Sanchez, Castropalaus, Trullenchus. Addit Pasqualigus, ubi plura sunt horologia expectari posse illud, quod tardius aliis pulsat, quia, inquit, *quodlibet horologium positum est ad*

est ad indicandum tempus, unde sufficit quodlibet, ut possim formare probabile judicium de media nocte. Decis. 162. Alii docti Juniores, ut nimium laxam improbant hanc opinionem, quia quatuor horologia e. g. prævalent uni. Quid inde reponit Pasqualigus? An nuncium remisistis Probabilismo? *Ad summum plura faciunt judicium probabilius, quod tamen non teneor sequi, sed sufficit si sequor Probabile*. Unum horologium, sicut unus Author, facit sententiam Probabilem. Ergo &c. Cohærentia, dicere videtur Pasqualigus, quæso dicamus, ne nos diffidentes colligant Rigoristæ. Urgent adversarii Probabilistæ. In quolibet Tribunali plures testes præferuntur uni. Respondet acute Pasqualigus. *Nec est eadem ratio de testibus, quia testes deponunt secundum scientiam, quam habent: & ideo plures testes faciunt majorem fidem. Horologia autem tantum judicant mortuo modo. Decis.* 162. Quis unquam viva fomnlavit horologia? Quæstiuncula, quam P. Diana proponit, omnium est lepidissima. Videlicet, queat ne idem homo eodem tempore jejunus esse secundum unum horologium, & ventre plenus secundum aliud? Illius verba significantius, clariusque suam mentem produnt. *An licitum sit sequi unum horologium, quoad jejunium Ecclesiasticum, & aliud quoad jejunium naturale, v. g. si hodie sit dies jejunii, possit quis, audita hora duodecima unius horologii, cœnare, & comedere carnes, quas die sequenti licite comedere potest: & postea, audita hora duodecima alterius horologii, possit sequi secundum horologium, & juxta illud incipere extunc jejunium naturale, & die sequenti communicare?* Negantem sententiam defendunt Leander, Lugo, quibus Diana accedit, sed e vestigio describit sententiam P. Joannis Dicastillo, qui definit: *Utraque sententia est in utroque tempore probabilis. tom. 4. coord. tract. 6. Resol.* 101. Lege integrum textum apud eumdem Dianam, ut prodigiosam vim Probabilismi tam opposita extrema conciliantis valeas evidentius comprehendere.

XV. Pauca hæc commenta obiter indicavi, non alio fine, quam, ut compertum tibi fiat quot tricis, quot ineptissimis argutationibus sacras Morum Regulas implicarunt Recentiores non pauci. Quæ omnia tibi argumento esse debeantur, ne istorum speculationibus atque Decisionibus fidem habeas, sed caveas omnino ab his omnibus, & interminatis quæstionibus, quas tantopere Apostolus detestatur.

CA-

CAPUT VI.

POSTULATUM IV.

„ Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdi-
„ dictis conjungi?

§. I.

Proponendæ quæſtiunculæ momenta.

QUæſtiuncula propoſita cæteris facilior eſt: idcirco paucis expedienda. Proponendi quæſitum anſam forte dedit ſint ne lacticinia epulæ interdictæ cum piſcibus non permiſcendæ? Diſputant quippe Recentiores aliqui, utrum ova, & lacticinia, ſint a jure, aut conſuetudine in Quadrageſima vetita. Negantem opinionem damnavit Alexander VII. P. Dominicus Viva in Commentariis propoſ. 32. ejuſdem Pontificis *num.* 1. hæc ſcribit. *Dubitarunt Doctores.* apud Fagundez *præcep.* 4. *c.* 2. *Num iure communi interdicatur eſus ovorum, & lacticiniorum in Quadrageſima, & an interdicatur ſub veniali tantum? Nec defuit qui etiam conſuetudinem ad id obligantem auſus fuerit negare.* Hæc ex P. Viva reſcripſi, ut occaſione data (diverticulum eſt, ſed neceſſarium & utile) quæ ſit illius in deſignandis, & occultandis damnatarum propoſitionum Authoribus critice evidenter deprehendas. Ut alias indicavi, frequenter Thomiſtas in ſcenam laxitatis producit, & vel laxas, vel damnatas propoſitiones iiſdem falſo non raro affingit. Veros autem proſcriptarum opinionum Authores, quos fraternæ charitatis officio colit, exquiſita dexteritate abſcondit cum non parvo lectorum detrimento. Hujuſce rei argumentum habeto in laudato textu. *Dubitarunt DD. apud Fagundez.* Ut vides, non *Fagundez*, ſed Doctores apud Fagundez de præfata opinione dubitarunt. Et tamen non DD. apud Fagundez, ſed Fagundez ipſe illam opinionem docet, & pro eadem allegat Doctores aut oppoſitum docentes, aut de eadem ſilen-

filentes. Arbiter iftius facti federe nolo. P. Leander a Sanctiffimo Sacramento judex apud P. Viva omni exceptione major litem dirimat. Leander autem *tract. 5. difp. 2. q. 2.* hæc fcribit *An ova & lacticinia fint probibita a iure fub mortali in ieiuniis Quadragefimæ? Negat* Fagundez *lib. 1. &c. ubi docet, a iur e nullo modo effe probibita ova, & lacticinia in ieiuniis Quadragefimæ fub peccato mortali, fed tantum fub veniali.* Plures DD. pro hac fua opinione allegat P. Fagundez. Sed P. Leander evincit falfo ab eodem Doctores citari, & concludit: Solum ergo oppofitam fententiam *docet* Fagundez, *& poft illum aliqui Recentiotiores.* Subditque Leander *q. 3.* fibi videri Fagundez negare quoque confuetudinem lacticinia fub mortali prohibentem. Hæc obiter, ut te admoneam, ne fidem adhibeas P. Viva in fententiis authoribus adfcribendis. Nec heinc fufpiceris, me nimio amore erga Thomiftas ferri. Nam femper, data occafione iftorum ut La Cruz, Zanardi, Manriquez, aliorumque fimilium laxiores opiniones refello, non fecus ac fi effent exterorum. Sed a diverticulo in femitam revertamur.

II. Difputandi anfam ex ipfis quoque fecundis Litteris Apoftolicis arripuere quidam, ut conftat ex Epiftola cujufdam Anonymi ad fuum Parochum data, editaque Venetiis apud *Pavinium* an. 1742. In eadem opponuntur hæc Diplomatis Apoftolici verba... *Quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum efus eft prohibitus, difpenfari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto unicam comeftionem fervandam, & licitas, atque interdictas epulas minime effe apponendas tenore præfentium declaramus, & edicimus.* Ex quibus verbis colligebant vetitum effe cum lacticiniis pifces permifceri, non fecus ac cum carnibus.

III. Poftremo ex ipfis carnibus permiffis controverfantur Recentiores, quænam dicendæ fint licitæ, quænam illicitæ? Nam carnium aliæ falubres appellantur, aliæ infalubres. Dum edendarum carnium facultas conceditur, difputandi occafio oritur: fint ne omnes carnium epulæ licitæ, an fecus?

§. II.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Respondemus : Epulas licitas pro iis , quibus permissum
„ est carnes comedere , esse carnes ipsas . Epulas inter-
„ dictas esse pisces , adeoque utrumque simul adhiberi
„ non posse . Piscibus tamen edendis non interdicuntur
„ ii , quibus datur tantum facultas adhibendi ova & la-
„ cticinia . "

Quibus permissa sunt jejuniorum tempore lacticinia , non prohibentur pisces . Rationes dubitandi resolvuntur .

IV. DUO in Pontificio Responso declaranda . Unum carnium permissarum genus : alterum piscium cum lacticiniis permixtionem spectat . De primo infra . De secundo in præsens . Quamquam hoc secundum vix declaratione eget . In sæpius laudato opere , *La Disciplina antica e moderna della Romana Chiesa intorno al Digiuno &c.* in Appendice ad tomi calcem addita palam feci . Apostolicas Litteras nullatenus piscium cum lacticiniis permixtionem vetare . Animadverti ibidem non verba tantum , sed spiritum legis cum primis spectandum esse, ut genuina ejusdem habeatur intelligentia . Palam feci , Diplomata Pontificia perspicua , & pervia omnibus iis esse , qui sincero animo eadem legunt ; & morosos dumtaxat criticos , qui nodum in scirpo quærunt, quique omnia, quæ gulæ adversantur, eludere satagunt, cavillandi, & vitilitigandi ansam ex iisdem arripere. Lubet pauca verba referre tempore innocenti scripta loco libro proximo laudato . „ Se il „ detto *Breve* è oscuro agli accennati uomini sofistici , egli è chiaro , „ preciso , e intelligibile a tutti gli altri buoni Christiani , che con a- „ nimo sincero bramano praticare quella penitenza , che possono . Io „ ho in-

„ ho intesi varj Cristiani privi affatto di ogni letteratura, i quali leg-
„ gendo il Breve recato in volgar favella, di questa guisa interpreta-
„ vano la suddetta clausola. Il Santo Padre, dicevano, proibisce d'
„ imbandire nella Quaresima convitti, e banchetti a carne, ed a pe-
„ sce, come fanno tanti voluttuosi, ed ingordi. Vieta le ricercate de-
„ licatezze, ed i raffinati condimenti. Nel rimanente non intende
„ giammai di mettere in angustia i buoni Cristiani, che sendo dispen-
„ sati da' latticinj, non hanno il comodo di cibarsi or di soli cibi
„ Quaresimali, or di soli latticinj. Intorno a questa varietà egli con
„ Paterna Clemenza lascia, che ciascheduno si regoli con cristiana
„ prudenza, e secondo il bisogno ".

V. Verum quod plena in luce rem collocat, videlicet Litteras Apostolicas non vetare permixtionem piscium cum lacticiniis, est Sapientissimus Cardinalis Quirinus Episcopus Brixiensis, qui in sua Epistola Pastorali ad Vicarios Foraneos, Parochos, & Confessarios suæ Diœcesis, data Romæ die 15. Februar. an. MDCCXLII. hæc habet. *Quod itaque iis litteris cautum est de licitis & interdictis epulis minime apponendis, nemo vestrum ignoret, referri quidem ad carnium, non autem ad ovorum etiam, & lacticiniorum cum piscibus, aliisque licitis jejunii tempore epulis, usum: Namque omnibus patet, quemadmodum in nostra, ita in aliis quoque regionibus, ovorum, & lacticiniorum usum licite ex vi solummodo consuetudinis adhiberi in quatuor anni temporibus, & in vigiliis pariter; ac proinde illa non ita pro interdictis epulis habenda esse diebus jejunii, ac carnes habentur*.

VI. Ratio, quam assignat Doctissimus Cardinalis, cur carnium, non lacticiniorum cum piscibus permixtio vetita intelligatur, evidens est. Quippe non tam severe lacticiniorum usum in jejuniis, quam carnium esum prohiberi omnibus patet. Nam in pluribus Regionibus vi solius consuetudinis in aliis a Quadragesima jejuniis lacticinia, & ova comeduntur. In transalpinis Provinciis pluribus passim lacticinia permittuntur in ipsa Quadragesima. Accedit, quod, ut in citata *appendice* dictum est, ratio, cur lacticinia plurimis in Regionibus conceduntur, est caritas olei, cui in condiendis pulmentis, & ferculis lac, & butyrum substituuntur. Plebej, & pauperes pulmenta lacte, aut butyro

condiunt, & pro obsonio haleculam, aringam, idque genus quidquam manducant. Lacticiniorum privilegium, si salitorum piscium usum subtraheret, incommodo gravissimo, non solamini esset. Hæ sunt conjecturæ, quæ permixtionem lacticiniorum cum piscibus non vetari in Litteris Apostolicis suadebant. Et quod reapse iste sit genuinus Litterarum Apostolicarum sensus, patet nunc ex Rescripto Pontificio. *Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia*. In fumum ergo occidit quidquid in oppositum adducebatur.

VII. Opportuna hic est altera laudati Cardinalis QUIRINI viri amplissimi doctrina, quæ & dicta, & dicenda magnopere confirmat. Docet ille in præfata sua Pastorali Epistola, non plus extendendam dispensationem esse, quam necessitatis gradus postulet. Sunt qui pulmento esuriali vesci nequeunt. Verum, si pulmentum carnium jure coctum comedant, reliquum prandium lacticiniis, & piscibus perficere valent, quin detrimentum subeat. Quis improbaverit hunc dimidiatum ciborum delectum a Christiana pietate, & abstinentiæ amore ortum? Nemo sane, nisi in discrimen revocetur luculentissimum principium illud. Qui nequit integrum reddere debitum, partem, quam potest, solvat. Cavendum tamen admonet præstantissimus Cardinalis, ne sub hoc dimidiatæ temperantiæ velamine, gulæ negotium obumbretur. *Non probamus*, inquit, *eorum sententiam, qui putant Dispensatis, quorum stomacho satis foret, de utriusque Medici consilio, pulmentum in jure coctum, aut quid simile degustare, non amplius licere post illam degustationem in reliquo prandio seu ovis & lacticiniis, seu piscibus uti, eaque ratione prohiberi, quin communem illam abstinentiam amplectantur, quam valetudinis suæ status minime refugiat. Contra censendum est, dimidiatam illam pro cujusque viribus temperantiam, dum a Christiana pietate, & abstinentiæ ipsius amore ortum trahat, potius esse laudandam. At quoniam facile contingere potest vitium illud seu gulæ, seu lautioris victus Christianæ pietatis nomine velari, Dispensatos omnes monemus, ut hac in re conscientiæ suæ serio consulant: id præterea caventes, ne quod licite ab ipsis peragitur, aliis occasionem præbeant in variis illis, mixtisque epulis, delicias, ac voluptates consectandi, omni quidem tempore a sanctis Christianæ Religionis moribus absonas, sed eo,* potis-

potissimum, quo ad avertenda Divinæ iracundiæ flagella Ecclesia populum suum ab escis carnalibus abstinere præcipiens, austeriorem carnis maceratio nem expiandis epulis, quibus in reliquo anno humana obnoxia fragilitas fuit, ex Apostolico instituto decrevit. Hæc sunt virtutum abstinentiæ, & temperantiæ documenta, quæ, tricis scholasticis, & subtilibus interpretamentis neglectis, nobis præbent, inculcantque illi, quos posuit Deus regere Ecclesiam suam. His auscultandum, obsequendumque, missis quibusdam Casuistis, qui vanis distinctiunculis gulæ irritamenta vel nolentes promovent. Se ipsis itaque in nihilum occidunt quæ §. 1. recensuimus disputationis gratia.

§. III.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Respondemus : epulas licitas pro iis, quibus permissum „ est carnes comedere, esse carnes ipsas “.

Epulæ licitæ Dispensatis permissæ, sunt carnes salubres. Peccant qui quocumque carnium etiam insalubrium genere vescuntur.

VIII. OLim graviter dumtaxat ægrotis carnes permittebantur. Ante unum, & alterum sæculum concessio carnium ob solam piscium nauseam inaudita prorsus fuit. Dispensationis usus sensim sine sensu dilatatus limites omnes prætergressus est. Præceptum de ciborum delectu vix extra pauperes, & cœnobia obtinet, adeo amplificata est extorquendarum dispensationum corruptela. Si scire aves quam nullæ sint dispensationes ejusmodi, mensas dispensatorum lustra. Offendes sacro abstinentiæ tempore convivia opipare parata. Fumant fercula carnium ferinarum tum silvestrium, tum domesticarum varietate disposita. Condimentorum nidores ultimos universæ domus, nedum triclinii, recessus subeunt, scandalo publico. An tam illecebrosæ corruptelæ an-

G 3 sam

ſam dederint recentium Caſuiſtarum diſputationes,an diſputationes ejuſmodi ortum duxerint ex corrupto more, ut in plurimis morum controverſiis uſuvenit, non facile dixerim. Illud eſt certum, poſtquam Recentiores quidam propugnare aggreſſi ſunt, diſpenſatis quodcumque carnium genus licere, abuſum latius permanaſſe, ac veluti torrentem, aggeribus omnibus fractis, cujuſque temperantiæ confinia tranſiliviſſe. Primi, qui indiſcriminatim quodcumque carnium genus diſpenſatis permiſſum eſſe docuerunt, ſunt Diana, Villalobos, Leander, Paſqualigus, Sanchez mitioris ethices aſſertores. Textus deſcribendi ſunt, ne invidiam illis creare videar. P. Diana *tom.* 4. *coord. tract.* 6. *Reſ.* 71. refert pro contraria opinione P. Joannem de La Crux, quem vocat doctiſſimum Dominicanum; ſed ego jam alias appellavi laxum Caſuiſtam, cum Zanardo, & Manriquez, ut hinc omnes colligant, non pro partium ſtudio, ſed pro unica nos decertare veritate. La Cruz tamen licet Caſuiſta laxus ſententiam improbat Dianæ ſcribentis *loc. cit. Contrariam opinionem ſuſtinendam eſſe puto, quam Noviſſime* (nota) *Noviſſime docet Villalobos . . . Itaque habenti licentiam ad eſum carnium licebit quodcumque genus comedere, ſcilicet lardum, leporem, hœdum, bovem, & alia infirmis diſconvenientia, etiamſi tota refectio ex illo carnis genere fiat: nam in tali caſu edendo carnes ſaluti nocivas peccabit adverſus præceptum naturale temperantiæ, non autem adverſus præceptum poſitivum de abſtinendo a carnibus in die jejuniorum*. P. Leander diligens in expiſcandis authoribus, qui novæ benignitati favent, Patrem vetuſtiorem *Villalobos* non invenit. Et tamen P. Leander cum hoc Villalobos, & Paſqualigo, atque Joanne Sanchez non modo probabiliter, ſed probabilius defendit ejuſmodi opinionem. *Probabilius omnino reſpondeo, non peccare mortaliter contra præceptum abſtinendi a carnibus . . . . Ratio eſt, quia Eccleſia per diſpenſationem omnino tollit prohibitionem carnium: at prohibitio carnium reſpicit, & includit carnes omnes (ut apud omnes eſt conſtans) ergo & diſpenſatio abſoluta includere debet ablationem abſtinendi ab omnibus carnibus tam proficuis, quam nocivis*. *Diſp.* 2. *q.* 28.

IV. Næ egregia argumentatio iſthæc! Prohibitio includit carnes omnes. Ergo & diſpenſatio? Eccur? Quia oppoſitorum ratio eadem, Hoc argumentandi genus in his, quæ ab hominum voluntate, & circum-

cumstantiarum diversitate pendent, mirificum sane est. Et lamentari eos non pudet, si similes argumentandi formulas irrideamus? Lex jejunii, ut evidentius sophisticam explicem cavillationem, prohibet iteratos esus, vetat horam prævertere, vetat carnes. Ergo dispensatio includit omnia? Prohibitio comprehendit quatuor affinitatis, aut consanguinitatis gradus: ergo dispensatio includit omnes. Prohibitio violandi Festos dies includit Missæ auditionem, & abstinentiam ab opere servili. Ergo dispensatio includit omnia? Retorsiones, inquis, disparatæ sunt, & de uno genere ad aliud. Itane vero? Pedem ergo intra semitam conferamus.

X. Adcedum. Principiis ne iisdem nituntur prohibitio, & dispensatio? Minime inquis. Quoniam prohibitio absolute ea omnia vetat, quæ bono communi legis adversantur relative ad universam gentem. Dispensatio vero juris relaxatio est, comparate ad indigentiam hujus, aut illius hominis. Ergo argumentatio a prohibitione ad dispensationem nulla est. Verum cominus rem agamus. Dispensatio libera ne est, an necessaria? Libera inquis. Ergo carnes salubres, secus noxias, & insalubres concedere potest. Negabis ne vitulinam, secus suillam carnem concedere Superiorem posse? Si liberum in concedendo asseris, & hoc posterius fateare necessum est. Potest, reponis, sed non astringitur. Ita ne vero? Dic sodes. Hic dispensator, quem liberum asseris in dispensando ab uno, secus ab altero carnium genere, est ne etiam fidelis, & prudens? Est sane ejusmodi, quem constituit Dominus regere vineam suam. Ergo ea tantum concedere debet, quæ & necessitas & commodum Christiani dispensandi exigunt. Sed nec commodum, nec utilitas, nec necessitas fidelium, qui dispensationem petunt, carnes postulant insalubres nocivasque. Ergo alterutrum fatearis oportet. Aut imprudentem, infidelem, suique ministerii prævaricatorem præsumendum esse dispensatorem: aut dispensationem limitatam esse ad solas carnes salubres juxta dispensati necessitatem, commodum, & utilitatem. Quid, quod communi circumfertur pœnes omnes, tum Canonistas, tum Theologos proverbio, Dispensationem non extendi ultra limites necessitatis postulantis. Quoniam, sublata veræ necessitatis causa, dispensatio nulla est, nemine refragante. Nullum ergo prudens, & ratio-

tionabile fundamentum occurrit præsumendi in dispensatione indefinita, carnium insalubrium concessio. Tandem. Fac Medicum ægroto facultatem impertiri carnium edendarum. Quis ratione præditus præsumet concessionem han carnes noxias complecti? Et hoc præsumes de Medico spirituali?

XI. Falleris, totoque cœlo, nedum ostio, aberras, clamat acutus P. Zacharias Pasqualigus, Cedo inquit. Quisnam jejunii Ecclesiastici finis, & meta? Corporis conflictatio, & maceratio. Bene habet. Ergo carnes insalubres, & nocivas dispensator concedit. Salubres quippe magis delectant, minusque corpori nocent: insalubres vero & nocivæ corpus affligunt. Ergo ut consistat, quoad fieri potest, jejunii finis, carnes omnes tum salubres, tum nocivas in dispensatione concessas dicendum est. Nullus dubito, quin suspicaturus sis mea hæc esse commenta, ut Junioribus odium conflem. Propterea ad abigendam imposturæ suspicionem verba P. Pasqualigi transcribo ex *Decis.* 46. *num.* 5. *Deinde si Ecclesia dispensaret in solis carnibus salutiferis, non haberet amplius pro fine macerationem corporis, neque exercitium virtutis abstinentiæ, quia jam concederet eas carnes, quæ magis contrariantur macerationi, & plus delectant gustum; sed salutem illius cum quo dispensaret. Ergo cum varietur finis: & non permaneat idem, non potest in aliquo permanere lex respiciens illum finem, sed deberet succedere alia lex, quam tamen constat non succedere.*

XII. Lepidæ argutationi festiva adhibenda responsio esset. Sed non quæ illos, sed quæ nos decent, dicenda. Quin lacrymæ potius fundendæ, cum sanctissimas Christianæ temperantiæ, & abstinentiæ regulas ad tam absona, & vana interpretamenta redactas inaudimus. Maceratio corporis ab Ecclesia in jejunii lege intenta moderata est, quæ carnis petulantiam reprimat, non quæ sanitatem destruat. Salubres carnes, quæ ab infirmis, aut dispensatis, qui infirmorum personam gerunt, comeduntur, minus gulam irritant, minusque concupiscentiam fovent. Quapropter simplices sunt, non aromatum odore, non condimentorum artificio, non coquorum studio præparatæ. Sæpe minus gulæ, palatoque sapiunt quam pisces. Contra bubulæ, suillæ, ferinæ, salitæ, aliæque id genus carnes, quæ insalubres dicuntur, corpus macerant, quatenus sanguinem accendunt, sanitati incommodant, atque ad celerio-

rem

rem interitum, aut insanabilem morbum viam sternunt. Cæterum, palatum vellicant, gullam irritant, carnis petulantiam provocant, sagināntque. Hæc omnia improbantur ab utroque Medico animæ, corporisque. Ergo argutatio Pasqualigi, & aliorum inane commentum est.

XIII. Momentis a ratione, ipsaque dispensationis natura arcessitis, Authoritatum pondera adjiciam. Non modo ergo ratio cogit præsumere, Superiores solas salubres carnes concedere, exclusis noxiis, sed reapse plura occurrunt documenta, quæ limitatam dispensationem evincunt. Ex plurimis pauca delibo. S. Carolus Borromæus strenuus Ecclesiasticæ Disciplinæ instaurator in suis aureis regulis pro exacta Quadragesimæ observantia hæc inter alia præcipit: latine reddita. *Non vendantur cujusque generis carnes, sed vitulinæ tantum, alteriusve animalis, quod Medicorum judicio usui dumtaxat infirmorum congruum sit. Nec cuilibet vendantur, sed iis solum, qui facultatem a destinatis Ministris habuerint. Quæ facultas si indefinita sit, remota causa, ob quam data est; continuo cessabit. Si vero necessitatis causa ultra decem dies persistet, rursus nova petatur licentia, alioqui extincta remanet. Et hæc methodus licentiæ petendæ de decem in decem dies observabitur usque dum necessitas extiterit.* Similia præscribit in alio Decreto lato anno 1581. in quo admonet omnes dispensatos, ut soli, & a publica mensa sejuncti, carnes concessas comedant, & acerbo cordis dolore mixtas, quod tempore, quo alii abstinent, ipsi tali cibo vescantur. Idem præcipit in Concilio Provinciali secundo. Summus Pontifex Clemens XI. in Edicto an. 1702. hæc præscribit. *Animadvertant & Medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitatem carnium, quod nempe sint salubres, quia hæ solum permittuntur in Quadragesima his, qui ex justa causa nequeunt vesci cibis Quadragesimalibus*: Postremum Maximus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in suo Edicto an. 1741. declaravit salubres dumtaxat carnes in Quadragesima edendas concedi hi verbis. *Avvertendo di più i Medici, che danno le dette licenze, e respettivamente quelli, che le ricevono, che solamente sono permesse le carni salubri a chi non può cibarsi per giuste cagioni di cibi Quaresimali.*

XIV. Quis nunc non videt, nulla prorsus frui probabilitate oppositam opinionem. Episcoporum ergo, Synodorum, Summorumque Ponti-

ti-

tificum Edicta summo obsequio suscipienda, & exequenda sunt. Patet igitur evidenter, Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. feliciter regnantem ea in suo Rescripto servanda præscripsisse, quæ & lex jejunii, & natura justæ dispensationis absolute exposcunt, requiruntque.

CAPUT VII.

POSTULATUM V.

„ An præceptum de utroque epularum genere non miscen-
„ do dies quoque Dominicos Quadragesimales complecta-
„ tur? *Affirmatur complecti.*

§. I.

Dubitandi conjecturæ indicantur.

I. Diebus saltem Dominicis Quadragesimæ epularum permixtio licita videtur. Ejusmodi dies exemptos ab utroque præcepto tum abstinentiæ, tum unicæ comestionis, primis temporibus fuisse plures contendunt. Et quod carnium esum spectat, colligi videtur ex S. Gregorio, cujus tempore consuetudo comedendi carnes Dominicis Qadragesimæ diebus jam in corruptelam declinaverat. Differebant siquidem helluones cœnam Sabathi post mediam noctem, ut carnibus saturare ventrem possent, quemadmodum parasiti hodierni seu ventris idololatræ, qui vulgo *Sabathinam* perficiunt, seu post medium noctis Sabathi sese implendos carnibus differunt. Quæ corruptela argumento est comissatores istos litteram, non spiritum legis servare. Hunc abusum detestatur S. Gregorius *cap. Denique Dist.* 4. his verbis. *De ipsa vero Die Dominica hæsitamus, quidnam dicendum sit, cum omnes laici, & sæculares illa die plus solito, cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant, quod utique non rationi, sed voluptati, immo cuidam mentis cæcitati adscribendum est. Unde nec a tali consuetudine averti possunt: & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt,*

sunt, ne forte pejores exsistant, si a tali consuetudine prohibeantur. Clarius hoc idem docere S. Gregorius videtur homillia 16. in Evang. cujus textus refertur *cap. Quadrag. dist. 5. Sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam sex & triginta dies remanent &c.* Ergo abstinentia, quæ feriis Quadragesimæ præcipitur, dies Dominicos non complectitur. Licitum itaque erit his diebus epulas permiscere.

II. Quid, quod Recentiores Escobarius, Machadus, Lamas Dominicis diebus Quadragesimæ licita ova & lacticinia afferant? Hanc sententiam propugnat præ cæteris P. Andreas Mendo. *Quia*, inquit, *in diebus non jejunii nullo est opus privilegio, hujusmodi autem sunt Dominicæ Quadragesimæ: igitur in eis absque privilegio, aut Bulla, omnes indiscriminatim possunt edere ova, & lacticinia, cum in illis diebus non jejunii nulla sit in jure probibitio. In Bull. Cruc. dis. 18. cap. 1. n. 29.*

III. Hanc opinionem ut probabiliorem propugnat P. Claudius La Croix commentator Medullæ P. Busembau *lib. 8. dub. 13. ar. 2. n. 13. Probabilius esse, non esse dies Quadragesimales Dominicas Quadragesimæ, & ita in illis cunctis posse ovis vesci, & lacticiniis. Advertit* Mendo, *se audivisse a viro docto, & gravi, quod declaravisset Pontifex in Bulla speciali, suam mentem esse comprehendere Dominicas Quadragesimæ nomine dierum Quadragesimalium. Sed ipse* Mendo *respondet* bene, *de tali declaratione* authentice *non constare, ac per consequens non obligare.*

IV. Ex his videtur colligi epularum permixtionem diebus Dominicis permittendam esse. Nam hi dies sunt privilegiati: exempti sunt ab unicæ comesturæ præcepto. Primis Ecclesiæ sæculis carnes in iisdem comedebantur. Tandem si etiamnum juxta doctos Recentiores hi dies *Probabilius* non sunt Quadragesimales, consectarium sponte fluit, posse illos, qui ex dispensatione carnibus vescuntur, epulas permiscere.

§. II.

§. II.

Præceptum de non permiſcendis epulis jure complectitur dies Dominicos, æque ac ferias Quadrageſimæ.

V. PRincipio refellenda ſunt quæ ſuperiore paragrafo recenſui. Eccleſiæ Diſciplina a more jejunandi diebus Dominicis ſemper abhorruit. Huncce morem ſeverius prohibuit poſt exortas hæreſes Euſthatianorum, Manichæorum, & Priſcillianiſtarum, qui omnibus Dominicis diebus auſtera peragebant jejunia. De hac prohibitione fidem faciunt Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus; nemo tamen aſſerit carnium uſum licitum his diebus fuiſſe. Ut Catholici ab hæreticis diſtinguerentur ſat erat iterare eſus, ſalva abſtinentia a carnibus. Quoniam ut alias diximus, & dicendum ſæpius eſt, Canonica Diſpenſatio libera cum ſit, prudenſque, reſtringitur, aut dilatatur juxta varios neceſſitatis gradus. Et quamvis gratis admitteremus licuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis diebus Dominicis carnium uſum, ut undequaque Catholici ſeſe, indicatis hæreticis opponerent; quid inde? An non conſtat poſterioribus ſæculis morem hunc penitus eſſe ſublatum? Teſtimonium, quod ſub nomine S. Gregorii opponitur, quodque reipſa a Gratiano ſub ejuſdem Pontificis nomine refertur, illius non eſt, ut doctiſſimi Benedictini P.P. Congregationis S. Mauri ſub finem Epiſtol. S. Doctoris animadvertunt. Author porro iſtius Canonis non morem adprobat, ſed corruptelam deteſtatur: eam tolerat, ut evitet majus ſcandalum, & pejora mala, ut conceptis verbis *Gloſſa ibidem* explicat, *verſ. hæſit*: ubi inquit. *Hæſitamus non quid juris, ſed quid ſtatuendum ſit, ne ſcandalum oriatur*. Quæ ſane interpretatio genuina eſt, cum Pontifex ipſe ſubdat, pravam conſuetudinem *Non rationi, ſed voluptati, immo cuidam mentis cæcitati adcribendam eſſe*. Quæ omnia confirmat *Gloſſa verſ. venia*, ubi hæc leguntur. *Ideo intelligas de venia pœnæ, non de venia culpę. Tolerat enim Gregorius crimen tale propter periculum ſchiſmatis, vel ſcandali: unde non eſt dicendum, quod ignoſcatur eis, licet non puniat eos propter multitudinem, vel ſcandalum: ſuſtinenda enim ſunt crimina ratione ſcandali, vel ſchiſmatis*.

Ad

Ad hanc doctrinam omnium Theologorum assensu firmatam animum intendere vellem eos, qui ut collapsæ disciplinæ abusus, legumque transgressiones ceu licitas defendant, silentium, & tolerantiam Ecclesiæ per summam ignorantiam obtrudunt: ac si permissio mali, quod impediri absque prudenti majoris mali periculo nequit, esset ejusdem approbatio. Abusus paulatim decrevit, & tandem penitus obsolevit.

VI. Quæ opponunt Recentiores Probabilistæ Mendo, Lamas, Machadus, Escobarius, Pasqualigus, & La Croix absona sunt, & communi Theologorum authoritate improbata. Siquidem quod Pasqualigus *Decis.* 72. infert ex laudato S. Gregorii textu, commentitium omnino est. Utique Sanctus Pontifex dies Dominicos subtractos abstinentiæ asserit, & substitutos quatuor dies ante primam Dominicam subdit, ut quadragenarius abstinentiæ numerus compleatur. At quid inde? Propterea ne licitus lacticiniorum usus? Eadem ergo ratione permissus erit carnium esus. Verbis ludit acutus Recentior. Abstinentia & comestionem, & comestionis qualitatem spectat. Et si presse loqui velimus, prius comestionem, post ejusdem qualitatem excludit. Et quia diebus Dominicis plures ad libitum comestiones permittuntur, ideo dies ejusmodi subtracti abstinentiæ dicuntur. At non propterea ab abstinentia a carnibus, & lacticiniis exempti sunt. Quid, quod P. Diana ipse *Resol.* 54. *n.* 2. hæc scribit. *Alibi hanc sententiam* (de licito usu lacticiniorum in Dominicis Quadragesimæ) *improbavi, & nunc iterum improbo: & caveant Authores, ne imposterum illam vel absolute teneant, vel tanquam probabilem admittant. Nam Sacra Congregatio S. Officii, & Sacra Congregatio Indicis, mensibus elapsis, mandarunt, hanc sententiam a quodam libro deleri, ut factum fuit. Et recte quidem, nam est contra communem sententiam Doctorum.* Et tamen P. La Croix, Bullam Cruciatæ interpretando, non reformidat scribere, probabilius esse, Dies Dominicos Quadragesimæ non esse Quadragesimales. Si dicatur, Pontificem declarasse, ejusmodi quoque dies Quadragesimales esse, respondet, Patrem Mendo asserere *non constare authentice de tali declaratione*. Eccur authentice non constat? Quia P. Mendo hoc asserit. Verum oppositum docent Theologi, consuetudo, experientia.

VII. Labefactatis Recentiorum placitis, paucis exponitur Pontifici-

cium Responsum. Licet diebus Dominicis non urgeat primum præceptum unicæ comesturæ, urget tamen alterum abstinendi a carnibus, ovis, & lacticiniis. Ergo præceptum de epulis utriusque generis non miscendis æque Dominicos ac cæteros Quadragesimæ dies complectitur. Sed cæteros dies illud complecti capite superiore ostensum est. Ergo probatum remanet æque vetitam esse diebus Dominicis ac feriis Quadragesimæ escarum permixtionem. Nec Dominici Quadragesimi dies lautioribus conviviis, & selectioribus ferculis, sed solemniori cultu, ferventioribus precibus, frequentiore ægrotorum visitatione, atque liberaliori pauperum subsidio celebrandi a populo Christiano sunt.

CAPUT VIII.

POSTULATUM VI.

„ Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ „ edere possunt ova & lacticinia „.

„ Rescribimus : Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis „ Litteris statutum esse quod respiciat gratiosum Cru„ ciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius teno„ rem STRICTE, & considerate perpendant, ex ejus„ que sententia se gerant. Caveant autem, ne inani „ quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præ„ scriptis ibi legibus. „

§. UNICUS.

Paucis Quæsitum, & Rescriptum perstringuntur.

I. Quamquam ingentia volumina in Diploma *Cruciatæ* edita sunt, tamen vix designare Authores valent, quid singulare in eodem con-

concedatur adversus abstinentiæ legem. Nam privilegium carnium edendarum solitis circumscriptum terminis est, ut ex sequenti textu præfatæ Bullæ Gregorii XIII. patet. *Item, ut dicto anno durante in omnibus, & singulis Regnis, insulis, locis, terris, oppidis, & dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus de consilio utriusque Medici, temporibus jejuniorum totius anni, etiam Quadragesimalibus vesci, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis. Ita quod, qui carnes comederint, servata in cæteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur.* Non vacat nunc, quod sit præter institutum expendere quæ adversus istius Textus sinceritatem in utramque partem disputantur. Communior, & mihi vera sententia est, ut jacet, genuinum esse.

II. P. Thomas Tamburinus, Alphonsus Rodriquez, & aliis plures deprehendere vix possunt, quid emolumenti peculiaris afferat Bulla isthæc. Sic enim ratiocinantur. Vel certus sum, me ob infirmitatem gravem posse comedere carnes: & tum licite vesci eisdem possum sine ullius consilio, vel certus sum, me non indigere: & tum privilegium mihi non suffragatur. Denique dubius sum: & tum de utriusque Medici consilio carnibus vesci possum absque privilegio. Emolumentum, quod Tamburinus deprehendit, est, quod dum Medicus dubius est valet impertiri usum carnium. Item concedit Pontifex, inquit, ut servata jejunii forma, semel tantum comedendo, meritum jejunii obtineatur. Hæc sunt duo emolumenta, quæ juxta Tamburinum Diploma concedit. Nemo non videt, vix aliquid concedi quod in aliis dispensationibus consuetis, ad hoc quod attinet, non impertiatur.

III. Quantum igitur ad eos, qui vi Bullæ Cruciatæ carnibus vescuntur, nulla est controversia. Evidens quippe est, & istos ad unicam comesturam in Bulla ipsa præscriptam, juxta probabiliorem sententiam astringi. Nec minus manifestum est, hos permiscere haud posse epulas vetitas, & licitas. Si enim de utriusque Medici consilio edere carnes debent, si causa exposita falsa sit, nulla dispensatio est. Si causa vera est, pisces nocivi sunt, & prohibiti. Quapropter in Quæsito non de his, qui carnes, sed de illis, qui lacticinia comedunt, dubitatur.

IV. Porro eos, qui ova, & lacticinia comedunt sive vi privilegii Cruciatæ, sive vi communis dispensationis, posse simul esuriales cibos manducare,

ducare, præceptoque unius comesturæ astringi, nemo est qui ambigat. Nullam ergo hic disputandi materiam præbet Bulla Cruciatæ. Quapropter jure ac merito Pontifex Summus rescribit. *Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis Litteris statutum esse quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem STRICTE, & considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant.*

V. Monitum in hoc Rescripto continetur valde idoneum ad labefactandam opinionem æquo laxiorem in præfatam Cruciatæ Bullam invectam. Disputant Recentiores, sit ne Diploma istud *stricte*, an *ample* interpretandum? Communis doctrina est, privilegia juri communi adversa *stricte* interpretanda. Quoniam quod te subtrahit communi legi, odiosum est, ipsumque commune bonum intentum a lege invadit. Ergo, ne hoc commune bonum grave damnum subeat, privilegium eidem contrarium restringi, quoad fieri potest, debet. Contra vero beneficium Principis mere gratiosum, quod nullum jus lædit, *ample* interpretandum convenit penes omnes. Bulla Cruciatæ juri communi adversatur in plurimis, & potissimum in materia jejunii de quo in præsens. Ergo juxta communem Theologorum, & Canonistarum sententiam *stricte* interpretanda est.

VI. P. Thomas Tamburinus *tract. in Bull. Cruc. cap.* 1. §. 3. fatetur hanc quam descripsi sententiam, communem asse. Verum subdit, P. Mendo Probabilistam placidum, suavemque propugnare, *ample* interpretandam Bullam esse, quantum ad omnia in eadem concessa, sive contra, sive præter jus commune sint. Huic autem sententiæ, utpote minus probabili utroque subscribit pollice Tamburinus, cujus hæc est argumentatio. Privilegia, & beneficia concessa a Summo Pontifice in favorem fidei, & Religionis, quamvis exorbitent a jure, *ample* sunt interpretanda. " Quia, inquit, debemus, quantum possumus fidei favere, ac judicare Pontificem ibidem *amplissime* facere voluisse. Porro Bullæ privilegia omnia concessa sunt, ut fideles excitentur vel ad pugnandum, vel ad orandum, vel ad porrigendam eleemosynam contra infideles. Ergo cum sint in favorem fidei concessa, *ample* sunt interpretanda. "

VII. P. Tamburinus, ut alias dixi, Probabilista est, quo benignior;

eo

eo acutior: eiusque tum scribendi nitorem, prout res fert, tum perspicuam disputandi rationem semper magni feci. Et hæc est ratio, cur frequenter illius opiniones æquo benigniores refellam, quod nempe sint ad fallendum aptiores. Speciosa argutàtio, qua adversus communem sententiam contendit, *ample* omnia Bullæ privilegia interpretanda esse; facillime imperitis fucum facit. Verum si penitius spectetur, merum sophisma est. Utique quæ fidei favent, sunt amplianda. Ergo ne sacræ inediæ tempore, quo Divina placatur vindicta, Misericordia imploratur, redimuntur scelera, immolantur Deo pro delictis victimæ contriti cordis, hoc inquam tempore amplificanda est concessio epularum, relaxanda est corporis maceratio? Quæ subtrahunt fideles a jejuniorum severitate, aliarumque legum observantia, fidei amplificandæ favent? Idcirco *amplissime* interpretanda? Arma ergo dilatandæ fidei peridonea, lautitiæ, fercula selecta, opipara convivia, commessationes? Contra clamant Patres, jejunia, corporis conflictatio, sunt virtutum semina, vitiorum flagella, carnis repressio armaque fidei. An non semper Dei populus in jejunio, oratione, & eleemosyna, atque universæ Divinæ legis executione de suis hostibus triumphavit? Romani Pontifices imbecillitatis humanæ memores, pro temporum opportunitate Bullam Cruciatæ impertiunt, aliquantulum legis severitatem remittunt ob altiorem finem. Christianorum alii strenui, alii languidi, debilesque. Relaxatur paulisper pro infirmis lex, ut excitentur ad majus bonum præstandum. Verum ita illos dispensare sentire nos convenit, ut quo minus fieri potest lex communis lædatur.

VIII. Ex paucis, quæ obiter dicta sunt, evidenter constat, argumentationem Tamburini vanum esse sophisma. *Stricte* ergo interpretanda est Bulla *Cruciatæ*, ut probabilior, immo vera sententia docet. Cui sententiæ maximum authoritatis pondus adjicit Pontifex Summus, dum & ipse *strictam* suadeat interpretationem, moneatque, ne inanibus commentis se se solutos fideles arbitrentur legibus, & formulis ibidem præscriptis. *Quare qui eo* Diplomate *gaudent, illius tenorem stricte & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione se solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus*. Si hæc

H pauca

pauca Sanctissimi Pontificis verba, qua decet, animi demissione, & christiana simplicitate, atque docilitate recogitentur, innumera præfatæ Bullæ commenta a P. Mendo, Diana, Tamburino, Machado, aliisque recentioribus excogitata in nihilum occidunt. Gratiosum a Pontifice Summo vocatur Diploma, ut tacitæ objectioni occurram, non quod non adversetur legi communi, sed quod uni inclytæ Hispanæ Genti concessum sit.

CAPUT IX.

POSTULATUM VII.

„ Utrum memorata duo præcepta urgeant extra
„ Quadragesimam?

§. I.

Dubitandi rationes.

I. JEjunium Quadragesimale semper in Ecclesia solemniore ritu peractum est, majorique in pretio habitum, quam cætera anni jejunia. Ergo mitior in his, quam illo austeritas. Non urgent itaque in aliis jejuniis a Quadragesimali distinctis præfata duo præcepta. Quod jejunium Quadragesimale excellentius in Ecclesia sit, probat S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 8. ad 3. his verbis. *Inter alia jejunia solemnius est Quadragesimale jejunium, tum quia observatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ Mysteria devote celebranda: & ideo in quolibet jejunio interdicitur esus carnium. In jejunio autem Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur.*

II. Hoc idem confirmatur unanimi SS. Patrum assensione. Omnes quippe

quippe adfirmant, Quadragesimale jejunium ab ipso Evangelio, Apostolisque originem ducere. Satis sit unum, & alterum allegare. S. Augustinus *ep.* 55. ad *Januar. c.* 15. *Quadragesima jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysis, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege, & Prophetis*. S. Hieron. Montanistis improperans, quod tres illi observantes Quadragesimas, tres adorent Salvatores, docet apud Catholicos unicam toto anno obtinere Quadragesimam ex Apostolica traditione proficiscentem. *Nos unam Quadragesimam secundum Apostolicam traditionem Apostolorum toto anni tempore nobis congruo jejunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores*. Similia docent Patres omnes, quos prætereo. Plura alia anni jejunia sunt institutionis meræ Ecclesiasticæ. Ergo jejunia Quadragesimæ severiora: mitiora alia.

III. Accedit, quod jejunium Quadragesimale decem & amplius sæculis non solvebatur ante Vesperas, cætera vero jejunia ad Nonam, ut colligitur ex Patribus. S. Benedictus in sua regula *cap.* 14. hæc præscribit. *Quarta, & sexta feria jejunent usque ad nonam: in Quadragesima vero usque ad Pascha, ad vesperam*. Hoc idem narrat S. Bernardus ser. 3. in Quadrag. *Hactenus usque ad Nonam jejunavimus soli, nunc ad Vesperam jejunabunt nobiscum universi*. Ergo hac quoque tempestate quidquam severitatis remittendum in aliis extra Quadragesimam jejuniis. Quod autem indulgendum videtur, est exemptio a memoratis duobus præceptis unicæ comesturæ, & non permiscendarum epularum.

§. II.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Respondetur : urgere extra Quadragesimam utrumque „ præceptum, illud scilicet unicæ comestionis cum reli- „ quis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata res- „ ponso, expressis : & alterum non permiscendi epulas „ licitas cum interdictis, ut in quarto postulato defini- „ tum est. "

In ceteris jejuniis ab Ecclesiâ extra Quadragesimam præscriptis observandæ sunt duo præcepta, unicæ comestionis, & de non permiscendis utriusque generis epulis: quantitas & qualitas vespertinæ collationis Quadragesimalis, horaque meridiana.

I. HÆC omnia præscribuntur in Pontificio Responso. Et quidem jure, meritoque. Id palam fiet singula dispiciendo. Unica comestio naturam cujusque jejunii Ecclesiastici ingreditur. Quoniam idem est omnium jejuniorum finis præcipuus, nempe concupiscentiæ repressio. Huic autem assequendo fini idonea judicata est unica comestio: idcirco eam Ecclesia præcepit. Audiamus S. Thomam 2. 2. q. 147. a. 6. *Jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam: ita tamen, quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest & naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit diminuendo comestionum vices: Ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.* De primo ergo præcepto unius comestionis non est ambigendum. Nam jejunia extra Quadragesima vera jejunia sunt; ergo jejunii naturam, in unica comestura sitam, habere debent. Quod alterum præceptum spectat de epulis non permiscendis, non minus evidens est, urgere in cæteris jejuniis extra Quadragesimam ac in

ipsa

ipsa Quadragesima. Idque ostenditur ex ipso textu S. Thomæ §. 1. allato, in quo hæc habentur; *In quolibet jejunio interdicitur esus carnium*. Ergo in nullo jejunio edendarum carnium facultas concedi jure valet, nisi vel ob infirmitatem, vel ob grave nocumentum ciborum esurialium. Porro recurrit argumentum factum supra, videlicet, aut nullam esse dispensationem ob defectum justæ causæ: aut si justa est causa, nempe quod esus piscium revera graviter noceat, jam peccatur tum contra temperantiam, tum contra legem jejunii: nam dispensator eo ipso, quod carnes concedit, pisces vetat, sic exigente recta dispensationis, ut ita dicam, œconomia. Recurrunt aliæ duæ rationes petitæ ex cujusque jejunii institutione. Harum prima est frænare concupiscentiam, carnisque petulantiam cohibere. Quid autem acrius concupiscentiam vellicat, irritatque gulam, quam diversarum epularum lautitiæ? Ergo in quolibet jejunio hæc permixtio vetita est. Altera quoque ratio satisfaciendi Divinæ Justitiæ pro pœnis, quæ flagitiis nostris debentur, non minus urget in cæteris jejuniis atque in Quadragesimali.

II. Alias duas leges, de quantitate, & qualitate cibi capiendi in vespertina refectiuncula, & de hora non antevertenda, similiter in aliis jejuniis obligare æque ac in Quadragesima planum est. Et, ut de quantitate, & qualitate pauca dicam, patet easdem ac in Quadragesima servandas conditiones esse. Nam unica comestio ad naturam pertinet cujusque jejunii Ecclesiastici. Ergo illa collatio capienda in aliis jejuniis est, quam consuetudo invexit in jejunium Quadragesimale. Porro consuetudo hæc nunquam permisit usum illarum escarum, quæ in prandio sumuntur, ut salva consistat comestura unica: sed usum invexit aut fructuum, aut bellariorum, & panis, quantum sat est ad somnum capiendum. Ejusmodi quippe fructus, herbæ, vel bellaria in communi existimatione epulæ naturam non habent. Quare si quantitas sit moderata, non impeditur quominus unica sit comestura. Consule quæ supra dicta sunt tum de qualitate, tum de quantitate istius refectiunculæ, cum in omnibus jejuniis eadem esse debet.

III. Quantum ad horam sumendi refectionem, quando jejunium Quadragesimale sub vesperam solvebatur, in cæteris jejuniis prandium peragebatur hora nona. Verum postquam consuetudo obtinuit prandendi

etiam in Quadragesima circiter meridiem, continuo omnia jejunia hac eadem meridiana hora solvi cœptum est. Et hoc docent omnes etiam beniguiores Probabilistæ, ut testatur P. Leander a Sanctissimo Sacramento *disput. 6. q. 4.* ubi laudat Cajetanum, S. Antoninum, Majorem, Ricardum, Medinam, Azorium, Covarruviam, Reginaldum, Abulensem, Fagundez, Laymanum, Sanchez, Filliucium, Trullenchum, Pasqualigum, Bossium. Plures recentiorum, quamvis fateantur omnia jejunia solvi nunc circiter meridiem, tamen propugnant, non peccare mortaliter eos, qui anteverterent vel in ipsa Quadragesima hanc horam, etiam notabili temporis intervallo. Quam opinionem supra reprobavimus. Jejunia ergo extra Quadragesimam ab Ecclesia præscripta in hoc solum a quadragesimali differunt, quod alicubi consuetudo obtinet comedendi in iisdem ova, & lacticinia: quantum ad reliqua omnia eiusdem omnino sunt conditionis, non dissentientibus vel ipsis benignioribus Theologis.

CAPUT X.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid
„ apud vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis Lit-
„ teris dubitationem attulisse scribis. Quam quidem in
„ re laudavimus consilium tuum interrogandæ Supremæ
„ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad
„ Oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant:
„ in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam Reli-
„ gionem, nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acce-
„ ptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum no-
„ men, & incorruptæ fidei fructum Hispania sibi peperit.

Obsequium Archiepiscopi in Apostolicam Sedem merito commendatur. Responsa Pontificia perspicua summæque authoritatis. Docilitas tamen & Evangelica simplicitas necessaria. Adversæ Recentium Casuistarum opiniones nulla amplius fruuntur probabilitate. Quæ opponi solent, non esse videlicet eorum opiniones proscriptas, in antecessum refelluntur.

I. Viam institit præstantissimus Archipræsul Compostellanus in consulenda Apostolica Sede super controversis dirimendis, quam cal-

carunt cæteri insigniores Hispaniarum Præsules, qui in gravioribus quæstionibus ad Supremam Petri Cathedram, ceu ad veritatis asylum, confugerunt, ut oraculum audirent. Et ne antiquos commemorem, quorum meminit immortali memoria dignus Cardinalis *Aguirre* in Præfatione ad collectionem Conciliorum Hipsaniæ. Recentiores obiter nominabo Antistites illos similiter Hispanos, qui anno MDCCXVII. libellum supplicem dederunt ad Maximum Pontificem Clementem XI. cujus nomen æternum stabit. In hoc libello typis edito plurimas propositiones laxissimas, & a Probabilismo derivatas, Supremo Romanæ Sedis judicio damnandas subiecere Episcopi illi sanioris doctrinæ vindices. Horum vestigiis inhæsit præclarissimus Archiepiscopus noster, qui eam assequutus gloriam est, ut meruerit a Sapientissimo Pontifice BENEDICTO XIV. laudari cum universa sua inclyta Natione de Religione Catholica optime meritissima, non tantum quod semel acceptam Fidem incorruptam servaverit, sed quod in novum mundum eam invexerit, atque ad portentum propagaverit.

II. Cum Sancto nunc Augustino dicere jure valet Illustrissimus Compostellæ Archiepiscopus: *Jam enim de hac causa duo consilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est &c. serm. 2. de verb. Apostoli sub finem*. Non duo, sed tria super jejunii causa ab Apostolica Sede Rescripta, seu Diplomata venerunt. Quæstiones omnes, dubitationes, dissidiaque post auditam Summi Pastoris vocem, alto sepelienda silentio sperare nos convenit. Hæ quippe sunt veluti tesseræ ovium evangelici gregis: vocem audire Pastoris. *Oves meæ vocem meam audiunt. Joan.* 10. In veteri lege, si quis post Summi Sacerdotis rogatam sententiam litem dirimentem, contradicere ausus fuisset, morte plectebatur. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris... surge... venies que ad Sacerdotes Levitici generis... & facies quodcumque dixerint.. nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio... morietur homo ille. Deut. cap.* 17.

III. Nemo Catholicorum est, qui Religioni, atque piaculo sibi non vertat, Romani Pontificis, aliorumque Pastorum, quos Deus posuit regere domum suam, mandatis palam refragari, atque contradicere. Verum non raro accidit, ut plures sive factionis spiritu acti, sive ut

proprias, quas domo detulere, opiniones propugnent, leges vel apertissimas, & perspicua mandata distinctiunculis involvere, commentis implicare, & postremum penitus eludere studeant. Quæ sane agendi ratio, aleæ plenissima est. Quandoquidem illi ipsi, qui tandem ab ovili Christi descivere, sub initium non aperta fronte Petri oracula spreverunt, sed cuniculis & latebris, modo distinguentes, modo explicationem postulantes, modo aut ad Pontificem melius instructum, aut ad Tribunal futurum causam appellantes, larva tandem posita, Romanæ Ecclesiæ sanctionibus pugnacissime restitere. Summa itaque animi demissione suscipienda sunt Romani Pontificis Decreta, responsa, & sanctiones omnes. Cavendum summopere est, ne præstigiator ille propriæ voluntatis amor nos fallat, approbetque in nobis quod in aliis justa severitate detestatur. Quid? invehimur in eos, qui Romanæ Ecclesiæ Decreta humili suscipere obsequio detrectant? Et nos in causa propria iisdem utimur artificiis, eisdem tecnis, in eisdem artibus perfugium locabimus, ut quæ nostris præjudicatis opinionibus obsunt eludamus? Absit a nobis vel ipsa tanti criminis scandalique suspicio. Quoniam nihil efficacius in Sanctam Petri Sedem inimicorum odium concitaret, quam tanta trutinarum diversitas. ***Abominatio est apud Deum pondus, & pondus: statera dolosa non est bona. Prov. 20.***

IV. Perspicua sunt, & cuique pervia recensita Pontificis Summi Responsa. Nihil oneris in eisdem imponitur, nisi quod & legis natura, & justæ dispensationis Regulæ requirunt, atque Patres omnes, & graviores Theologi docent: summæ propterea sunt, & ineluctabilis authoritatis. Verum enim vero nihil tam sanctum, nihil tam apertum, exploratumque, quod hominum cavillis, & sophisticis argutationibus obnoxium non sit, nisi timor Dei, humilitas, & singularis erga cœlestia affectio suppetias ferant. Quæ præire debent, ut fidei donum in hominum mentibus infundatur; eadem fere antecedant oportet, ut sana morum doctrina altius menti hæreat. Antequam habitualis fidei lumen animam illustret, piam præcedere affectionem debere, quæ in obsequium ejusdem mentem inflectat, docent communiter Theologi. Similis pius voluntatis impulsus atque propensio antecedat, ut ego quidem arbitror, necessum est, ut moralis Christianæ Doctrina in cordibus hominum altio-

tiores agat radices. At inquis, pia voluntatis motio idcirco præire fidei debet, quod Mysteria credenda, obscura cum sint, movere intellectum nequeunt. Quamobrem hunc defectum suppleat pia cordis affectio fas est. Quæ autem morum scientia agenda præscribit manifesta sunt, & menti consentanea. Ergo ratio dispar. Verum habet, quoniam ex diversis principiis istius pii affectus necessitas oritur in fide, ac in morum scientia. Enim vero si fide divina credenda Arcana tenebris involuta sunt: quæ exequenda jubet Scientia Moralis, hostiliter carni repugnant & sanguini, bellumque implacabile atque continuum appetitionibus indicunt. Ad hanc porro pugnam tollendam, non secus ac ad dispellendam credendorum obscuritatem, necessaria sane est pia voluntatis affectio, ingenua simplicitas, mens docilis, humilis, atque a cacohete rixandi & contendendi prorsus aliena. Si hæ dotes simplicitatis, timoris, atque docilitatis desint, vix, ac ne vix quidem fieri potest, ut Superiorum doctrinales sententias absque contentione, & murmure amplectamur, eorumque mandatis Religiosa obedientia pareamus.

V. Hanc doctrinam altius ubique inculcant Scriptores Divini. Paulus Apostolus *Epist. 6. Obedite .... in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate.* Et valde prius Salomon dixerat, Deum simplices alloqui, & verborum venatores odio habere. *Abominatio Domini est omnis illusio: & cum simplicibus sermocinatio ejus. Prov. 3.* Sanctus Jobus appellatur *homo simplex, & rectus, ac timens Deum c. 1.* Et Evanvelista Matthæus. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. c. 6.* Hæc animi simplicitas in obsequium imperantis, mentem, & judicium subjicit. Auro, cedroque digna sunt monita tria, quæ Sanctissimus Patriarcha Ignatius Lojola Inclytæ Societatis JESU Institutor nobis hanc de re suppeditat *epist. 1. de virtut. Obedientiæ n. 16. 17. & 18. edit. Antuerp. an. 1635. Præterea tria vobis nominatim propono, quæ ad obedientiam judicis comparandam multum juvant Primum illud est, ut . . . . non intueamini in persona Superioris hominem obnoxium erroribus, atque miseriis, sed Christum . . . . Altera ratio est, ut quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud ani-*

animos vestros studiose nitamini; improbare autem nequaquam. Atque ad eam ipsam rem proderit, bene animatos, affectosque esse ad id omne, quod ipse jusserit . . . . Postrema subjiciendi judicii ratio est . . . . ut . . ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupide sine ULLA prorsus DISQUISITIONE feramini. Huc recidunt omnia, quæ de sublimi obedientiæ virtute Patres scripsere. Christus Dominus in Superioris persona spectandus: Ejusdem jussa, & judicia sine *ulla prorsus disquisitione* suscipienda: Et tandem hæc omnia accurato studio, & invicto conatu defendenda nobis sunt, atque adeo ab oppugnatoribus vindicanda. Quod si tam exacta obedientia parendum cuique vel inferiori Prælato est: qua profundiori animi demissione subjiciendus intellectus erit omnium Prælatorum Supremo Hierarchæ, Christi scilicet Vicario? Providit & hoc illuminatissimus Patriarcha. Quamobrem; ne bene tantum affecti, animatique essemus ad ea, quæ nostrarum sunt rationum, nostramque promovent gloriam, & splendorem, subdit, hæc omnia præstanda esse, cum parendum fuerit Romano Pontifici Christi Vicario. *Atque hæc, quæ de obedientia diximus, æque privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus Præpositisque localibus erga Generalem; Generali denique erga illum, quem Deus ipsi præfecit, nempe suum in terris VICARIUM, observanda sunt.* Cujus obedientiæ tributum ut alacrius, exactiusque præclarissimi filii Romano Pontifici pendant, singulari Sacramento se deviinciunt.

VI. Qui vero præfatis obedientiæ dotibus destituti sunt, super omni verbo vitilitigant, cavillantur, rixant, disputant, contendunt. Omnia in discrimen revocant, & pro ingenio quæque interpretantur. Hi non simplices, sed versuti, non dociles, sed pugnaces, non humiles, sed arrogantes, superbique. *Qui autem* (minatur Deus Deut. 17.) *superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morte moriatur.* Solum his Pontificia responsa summæ, & ineluctabilis authoritatis non sunt. Cæterum qui mente præjudiciorum vacua, animoque sincero, ac spiritu simplici Supremi Superioris jussa & leges expendunt; tamquam certissimas morum regulas præfata responsa amplectuntur. Sceleri sibi verterent vel latum unguem eisdem reluctari & contradicere, immo non eas, ut admonet Sanctissimus Patriarcha Ignatius, defendere, & propugnare.

VII.

VII. Non defuturos tamen suspicor qui, quemadmodum adversus duo alia Apostolica Diplomata, ita & contra hoc rescriptum sint oppósituri. *Rescriptum* istud, inquient, Responsa privata continet ad unum Archiepiscopum directa, non sanctiones pro universa Ecclesia latas. Sententiæ sunt Pontificis Summi, ut Doctoris privati, non, ut Pastoris e cathedra loquentis. Non damnat contrarias Theologorum opiniones, sed tantum præfert sententias, quæ sibi probabiliores videntur. At propterea ne sua destituentur probabilitate opiniones, quibus tot docti Juniores patrocinantur? Nonne alius Pontifex decernere oppositum poterit? Licitum ergo erit nostras propugnare sententias, ut probabiles; donec solemni censura configantur. Ad summum illarum praxis suspendenda, donec faustior arrideat fortuna. Objecta narro, quæ lippis, & tonsoribus comperta sunt. Hujusmodi quippe, & alia paululum acriora adversus primum Diploma opposuere: adeo, ut opus fuerit alterum edere. Quid, quod, neque secundo lato destiterunt ab incœptis; sed ne scholæ splendor tantillum innumbretur, atque sistema consistat probabilisticum in hodiernum diem narrata commenta aurito gregi insusurrant, atque in vulgus disseminant. Tantum valent præjudicatæ opiniones.

VIII. Rescripta Romanorum Pontificum ad consulentes Episcopos, de more data, semper fuerunt penes Catholicos omnes summæ authoritatis, maximoque in pretio habita. Simul atque D. Augustinus Apostolicæ Sedis Rescripta accepit, definitam, terminatamque causam pronunciavit. *Jam enim de hac causa duo consilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error. Serm. 2. de Verb. Apost.* Finitam habebat causam Augustinus post accepta Romana responsa, sed verebatur, ut omnes socii sibi assensuri forent, ideo subjunxit: *Utinam aliquando finiatur error.* Perspectum illi erat, plurimos Academico Probabilismo imbutos, eo facilius legem Ecclesiæ suis appetitionibus detorquere, quo ipsam Dei legem vanis commentis eludere non reformidabant. *Verum si Dei legem, non sicut se habet, sed sicut vobis placet, intelligitis, quid mirum, si & de lege Imperatoris hoc facitis. Lib. 3. contr. Julian. c. 3.* Animos autem adjicit Sanctus Pater, hortatur, urgetque, ut ejusmodi hominum placi-

na

ta refellamus. *Fratres mei compatimini mecum. Ubi tales inveneritis occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Serm. 2. de verb. Apost.*

IX. Parendum ergo Augustino, & objectum commentum toties convulsum, iterum labefactandum. Et quoniam sophisticam hanc argutationem: *Opinio non est damnata, nititurque gravium Juniorum auctoritate, ergo probabilis, atque adeo secura*, ad ravim usque obtrudunt, placet paulo fusius eam expendere, potissimum, quod non ita pridem rogatus fui, ut, occasione data, ineptum sophisma penitus contererem. Quoniam ejusmodi cavillationem imperitis non levem fucum facere experientia didicimus, porro, ut efficacius hoc præstem, instauranda argutatio est sub validiore suo aspectu. Clamant ergo. Opiniones, quas defendimus, ad Pontificium Tribunal delatæ fuerunt. Quis dixerit, aut opinionem benignam seu minus probabilem, & opiniones contrarias prænunciatis Apostolicis Litteris non fuisse sub examen inductas, aut denuntiatas, aut de eisdem sermonem non incidisse? Profecto, si contrarias sententias sequendas proponit Apostolica Sedes, fieri haud potuit quominus istarum quoque facta mentio fuerit. Ergo eo ipso, quod hanc, vel has opiniones Pontifices Summi expresse non damnarunt, tacite, ut minus, significare voluerunt, easdem sanam continere doctriman. Non modo itaque ex Pontificiis Decretis opiniones nostræ læsæ non fuerunt, quin ex iisdem novum recipiunt robur, & a cujusque suspicionis nota liberæ evadunt. Poterat ne efficacius exaggerari commentum?

X. Nolo meis verbis illud refellere, sed P. Ignatii de Camargo sapientissimi Hispani Inclytæ Soc. JESU Theologi responsum transcribam, ut discant minus periti, rancidulum valde esse parallogismum hunc. Sic autem P. Camargo respondet *lib. 2. controv. 2. a. 4. §. 2.* „ Vulgarem hunc discursum millies audivi, sed ab hominibus *levioris* „ *notæ*: & qui vulgaria quæque sine examine ullo & suscipiunt, & pro- „ ferunt pro sustinendo suo, quem amant, sed non cognoscunt, Pro- „ babilismo .... Porro argumentum hoc nimis absurdum videtur, cum „ iidem ipsi Pontifices per sua memorata Decreta illud clare, & „ signanter reprobaverint, & consequenter omnem occasionem, omnem- „ que ipsis excusationem præciderint.

„ No-

„ Notorium est, Alexandrum VII. in suo priori Decreto damnavisse „ hunc articulum ordine 27. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, de-* „ *bet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Aposto-* „ *lica tanquam improbabilem*. Insuper Innocentius XI. in ipsa præfatione „ Decreti sui signanter, & expresse declarat, intentionis suæ non esse „ *alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet,* „ *& ex quacumque parte exhibitas, vel exibendas, ullatenus approbare*. „ Quam igitur post hæc excusationem habere poterit, qui benignam „ sententiam (& alias quasque) ex eo arguerit non esse damnabilem, „ immo a Sede Apostolica tacite saltem esse approbatam, quod per „ memoratam Decreta expresse rejecta non sit, aut cum aliis damna- „ tis opinionibus aliqua censura notata?

„ Cæterum præscindendo ab his expressis Summorum Pontificum „ protestantionibus, aut declarationibus, quis Theologus cordatus se- „ rio arguere potest, aliquam opinionem moralem esse vere probabi- „ lem, tutam, ac sanam, ex eo solum, quod a Sede Apostolica pa- „ tienter toleretur (etiam per multum temporis) aut expresse non „ rejiciatur? Nemo profecto ignorat, plurimas opiniones in materia „ fidei, & morum, post diuturnam illarum tolerantiam damnatas tan- „ dem esse, & a fidelium praxi proscriptas tanquam doctrinas pravas, „ & noxas. Nemo item audebit affirmare, aliquas opiniones, etiam „ antiquas, quæ modo permittuntur, & tolerantur, non posse tandem „ aliquando damnari, & a tota Ecclesia proscribi. Quid ergo? & illæ „ ante damnationem, & istæ interim, dum non damnantur, hoc ipso „ vere sanæ, probabiles; & tutæ sunt? Hoc ipso tacite approbari cen- „ sentur ab ipsa Apostolica Sede? Quis dicat? Alioqui Summi Ponti- „ fices non nisi falso poterunt affirmare, illas se ab Ecclesia proscribe- „ re, & a fidelium praxi prohibere, eo quod pravæ, ac noxiæ mori- „ bus Christianis sint, & animarum saluti perniciosæ “.

XI. Allegata satis essent, pauca tamen adjicere lubet. Opiniones de non conjungendo jejunio cum esu carnium ex dispensatione, de epulis utriusque generis non permiscendis probabiles olim habebantur. Quis asseruerit probabiles nunc esse? Nemo sane, nisi illi, qui manus victas dare recusant, nisi cum districto anathematis mucrone illorum jugulum pe-

petitur. Sed nulla nobis cum istis docilitate, & simplicitate destitutis disputatio est, qui non rationi, sed vi tantum, gladioque fasces submittunt. Ut imperitos, sed dociles, ingenuosque instruamus, iisdem recordamur, Romanos Pontifices Christi Domini, cujus vices gerunt, vestigia persequi, exemplaque imitari. Porro Servator noster Divinus permittit zizania simul cum tritico crescere usque dum opportunum occurrerit tempus eradicandi illa, salvo tritico. *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis, & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem &c. Matth. 13.* Porro zizania & triticum non tantum malos probosque, homines, verum etiam malam quoque, & bonam doctrinam significare, per quam homines boni, malive fiunt, *certum* (inquit Camargo *loc. cit.*) *& obvium est ex sacris Interpretibus: opiniones minus probabiles & falsæ tam similes sunt probabilioribus & veris, ut discerni vix queant.* Verum & *inter triticum* (inquit Hieronymus in Matth. cap. 13. (*& zizania, quod appellatur lolium, quamdiu herba est . . . . . grandis similitudo est, & in discernendo nulla aut difficilis distantia.* Verum quamvis opiniones falsæ simillimæ veris sint non propterea Deo, non Ecclesiæ probantur; sed cum pravis hominibus in tempore projicientur. Neque sibi indociles homines blandiantur, illudantque ignorantia excusandos esse usque dum opiniones non damnentur? Quandoquidem, ubi bona fides, ubi sinceritas, cum audias supremum Pastorem contraria jubentem? Quid de filiis diceres, qui Patrum consiliis, quin nec mandatis parere velint, nisi cum evaginato gladio terra marique exterminare illos minantur? Plurima sileo in tempore dicturus. Audiant interim Augustinum *lib. de fide, & oper. cap. 17. Retibus enim bonis capi possunt pisces & boni, & mali. Retibus autem malis capi non possunt pisces boni. Quoniam in doctrina bona & bonus potest esse, qui audit & facit, & malus, qui audit & non facit. In Doctrina vero mala, & qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet malus est, & qui obtemperat pejor est.* Hanc Augustini Doctrinam amplectuntur Patres omnes, quoniam in Scripturis millies inculcata. Audi nunc quæ scribit P. Antonius Casnedi *tom. 2.* in dedicatione operis ad Christum JESUM. *Cum Magister veritatis sis, adeo humanæ condescendis inscitiæ, ut in tuo veritatis Tribunali error inculpatus ipsam coæquat veritatem: cum*

enim

enim non accusas, sed excusas; non plectis, sed præmiaris: ipsam Tuam Legem habendo pro Non lege: & Tuam Non Legem habendo pro Lege, si Lex, ut NON-LEX, & NON-LEX, ut Lex invincibiliter proponatur, Audistin? Invincibiliter fornicaris, furaris, pejeras. Præmium a Deo recipies, non secus ac si castus, si justus, si verax fuisses: *Quia error inculpatus ipsam coæquat veritatem*. To *coæquat* uberrimam vim prodit. Hæc obiter. Expedit enim, etiam per transennam errata, quæ nobis videntur imperitis nocere Lectoribus, improbare, & eosdem admonere, ut sibi caveant.

CAPUT XI.

RESCRIPT. PONTIF.

„ Cavendum tamen est, ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti solicitudine nullus fiat differendi, ambigendique Modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile pro ingeniorum varietate disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi, præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, & illuc prompte dirigi potest quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exolvissent. Patebat enim nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri jejunii fines prætergressi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent quid in propositis quæstionibus constituendum esset, nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent &c.

§. 1.

§. I.

Documenta saluberrima in ultimo Rescripti Pontificii membro contenta explicantur. Consectaria ex nimia de jejunio disputandi solicitudine.

I. Bene se res habet, ut hoc ultimum caput aureis verbis Cardinalis Bona, sanctitate & doctrina non minus quam purpura Eminentissimi, atque in scribendo cœlestis unctionis mirabili quadam suavitate perfusi, exordiar, ut sin meo arido, sterilique sermone, Divina saltem tanti Viri eloquentia lectorum corda valeam emollire. Porro hæc ille scribit *Tract. de Divin. Psalmod. cap.* 9. §. 3. *Hic liceat tandem subsistere, & deplorare. Heu quantum a prisco jejuniorum ritu recessimus! Tunc vera jejunia erant, dura, & austera: nunc levia sunt, & vix jejunii nomine digna, ludus, & umbra jejunii. Etiam in ipsis solemnioribus pervigiliis vix meridiem expectamus, statutas Nonæ, & Vesperarum horas in solemni dumtaxat precum recitatione servantes. Utinam quod deest abstinentiæ, aliarum virtutum exercitatione sarciamus.* Hic non vetustæ ætatis scriptor quispiam est, sed Doctor, qui proximum elapsum sæculum illustravit.

II. Itaque, ut hanc collapsam jejuniorum disciplinam instauraret Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans duo edidit Diplomata. In præsenti vero Rescripto, postquam quæstiunculis super eisdem excitatis, sibique propositis, responsa præbuit, admonet, ut caveamus interpretamenta nimium subtilia, quæ recidunt in quæstiones inutiles, in contentiones, nullusque sit disceptandi modus. Sed eo diligentius in morum scientiā abstinendum a controversandi studio, quod nimiæ istius generis quæstiones illuc communiter tendunt, ut a legis obligatione homines eximant. Consuluntur Theologi plures, dubitationes, postulata proponuntur, ut experiamur, si via aliqua a legis onere liberi tandem evadere possimus. Perspicuæ sunt communiter leges, manifesta Decreta, & præcepta omnibus, qui bene erga legum observantiam animati sunt, quique sincero propriæ salutis desiderio flagrant: semper vero occasioni sunt ambigendi, disputandi, vitilitigandi iis, qui mori-

moribus vivere suis vellent, suasque explere appetitiones. Quæ omnia non aliis, quam iis, quæ in manibus sunt, confirmare exemplis volo. Quid quæso primo Pontificio Diplomate *Non ambigimus* manifestius? Et tamen secundum edere ad majorem explicationem necessum fuit? Quid quod secundo evulgato non propterea cessarunt Disputationes, controversiæ, dubitationes? Quis dixerit, a spiritu pœnitentiæ, ab amore jejuniorum ejusmodi dissidia proficisci? *Præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, & illuc prompte dirigi potest quidquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exolvissent.* Verum, ut clarius pateant immania consectaria, quæ ex Novo opinandi modo jam ab Alexandro VII. improbato, necessario consequuntur, e re mea est distinctis §§. oculis illa subjicere Paralellum instituam, in quorumdam Theologorum de jejunio opiniones cum SS. Patrum doctrina conferam.

§. II.

Paralellus, in quo nonnullorum Recentium Theologorum opininiones de jejunio cum Patrum doctrina conferuntur.

III. Vulgari sermone in alio opusculo contuli opinationes de jejunio quorumdam Recentiorum cum Patrum Doctrina. Quia tamen argumentum istud hic propriam sedem habet, operæ pretium existimavi illud ad incudem revocare. Nec propterea actum agam. Quandoquidem quæ adducam evidenter demonstrabunt quæ Pontifex Summus bis asserit in suo Rescripto. *Patebat enim nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri jejunii fines prætergressi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus Divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur.* Et prius in Rescripti exordio. *Dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gau-*

dent &c. Efficacius sane evincere nequeo vera esse, quæ de quibusdam Theologis hic adfirmantur, quam eorumdem Theologorum novas, inauditasque opiniones in medium afferre. Quoniam vero opponunt eruditi Juniores Patres Sanctos haud discussisse hodiernas quæstiones: *Quærunt*, inquiunt, *casus temporum Doctores temporum. Bellus erit ille Criticus, si ex S. Augustini doctrina dissolvere velit emergentes nodos;* idcirco Patrum testimonia Recentiorum opinionibus contraria promam. Concedendum tamen Recentioribus est, verum partim esse quod opponunt effatum, nempe casus temporum resolvere Doctores temporum. Et sane casuum, quos his temporibus Doctores excogitarunt, nunquam meminere Patres Sancti. Quin nec illis, nec Christianis illorum temporum in mentem venit disputare, essent ne fœminæ quinquagenariæ a jejunio liberæ, vel illi qui habent duo *cauteria* seu duos *fontes*, aut illi, qui data opera fornicantur, ut debiles effecti, sint a jejunio exempti? Hæ, & centum id genus quæstiones quas eruditi Juniores veluti crearunt, incognitæ prorsus fuere Patribus. Quapropter verum habet, nos non posse hoc in sensu ex Patribus ejusmodi resolvere casus. Sed opponimus, decisiones istorum casuum a Recentibus invectas pugnare cum omnium Patrum principiis. Idque evincam sequentibus paragraphis in jejunii materia, ut hinc colligere quisque possit quæ in aliis controversiis dicere valeamus.

§. III.

Recentiores non pauci absolvunt fere omnes mulieres a jejunii lege.

IV. ANntequam rem ingredior, prævertere interest quæ nonnulli studiosissimi Casuistarum defensores obtrudere solent. Quid, inquiunt, crambem eamdem toties recoquis? Nonne sæpius plautinis salibus perfricata sunt festiva Casuistarum de jujunio paradoxa? Sola ergo invidentia vulneribus afferre manus impellit. Ita ne vero? Quid, si Recentissimi Authores in dies pergerent laxiores suorum Antiquorum renovare opinationes, easque lectoribus sequendas proponere? Quid

tum?

tum? An repetito veneno, repetenda non esset medicina? Adesdum. Laxior ne in hoc genere opinio est præ illa, quæ omnes mulieres quinquagenarias vetulas efficit, ut a jejunio illas eximat? Et tamen hæc opinio diebus nostris renovata est. Credere recusas? Audi quid ex una parte Recentissimi Theologi, quid e regione Patres scribant.

P. Dominicus Viva Theologus novissimus hæc scribit *Tom. 1. curs. Theol. p. 1. q. 10. a. 6. n. 8. Infœminis autem Probabiliter ex Vallerio, Narbona, Machado, Pellizario Diana, contra quam plures putantes id non esse tutum, definit obligatio jejunandi incboato anno quinquagesimo*. Leander, Pasqualigus, & alii benigniores non loquuntur de anno *incboato*. Diana saltem advertit *tom. 4. tract. 6. Res. 9. n. 2. Doctrinam a Narbona, & Pellizario superius adductam de anno quinquagesimo quoad mulieres ..... incepto tantum, & non completo, minime approbari a multis*. Ipse tamen probat. Et hanc laxiorem opinionem etiam de anno *incboato* propagat P. Viva, qui *ibidem* simul excusat Viros sexagenarios, etiam robustos. *Quia robur senum est illusivum*. Et mulieres, inquit, Leander, post annorum quinquagesimum non sunt idoneæ generationi.

V. *An excusetur a jejunio fœmina nubere volens, si ex jejunio deperdat formam, & colorem. Affirmant absolute Sanchez, Lopez, quos citat & sequitur Fagundez, Trullench, & Molphesius*. Leander *dis. 8. q. 53.* Quid causæ produnt? *Quia deperditio formæ in ordine ad nubendum censetur notabile damnum, quo imminente, non obligat præceptum jejunii. ibi*. Hactenus Leander.

S. Ambrosius *Ser. 34.*

„ Pudet dicere Senes, & anicu-
„ læ Quadragesimam faciunt: ju-
„ venes, & juvenculæ non faciunt.

S. Basilius *Orat. 2.*

„ Senibus levem reddit laborem
„ jam olim contracta cum jejunio
„ familiaritas. Siquidem labores,
„ quibus diutino usu assueveris,
„ minus offendunt. (item Orat.
„ 2.) Jejunium servat parvulos, so-
„ brium reddit juvenem, venera-
„ bilem facit senem. Venerabilior
„ est enim canities jejunio decora-
„ ta

S. Vincentius Ferrerius *Ser. v. Ciner.*

„ Senes octoginta annorum, vel
„ amplius, qui semel bene possunt
„ comedere, tales non excusantur
„ in aliquo prædictorum; quin ipsi
„ peccant mortaliter. Et ideo cum
„ diligentia omnes jejunemus.

S. Basilius *Or. 2.*

„ Porro mulieribus, quam est na-
„ turale respirare, tam est conve-
„ niens jejunare ..... jejunium fœ-
„ minis ornatus est congruentissi-
„ mus. Ætate ac robore vigentibus
„ pro fræno est. Jejunium Matri-
„ monii custodia, Virginitatis nu-
„ tritius.

VI. Si nuptæ fint, jejunio non fubiacent, ut reddere debitum queant. *An coniuges teneantur jejunare, quando jejunium impedit, ne invicem fibi reddant debitum? Ut quid certum Refpondeo non teneri*. Leander. q. 48. Quid fi mulier reddere debitum poffet, at minus venufta fieret? *Excufatur mulier, fi jejunando fit macilenta, & invifa viro*. Joannes La Cruz *præcep*. 3. *a*. 4. *dub*. 9. Clarius P. Filliucius *tract*. 27. *p*. 2. *c*. 6. *Uxor non valens fe gratam fervare viro ob maciem, vel pallorem, Doctores excufant*.

VII. A jejunio laudati Recentiores abfolvunt omnes prægnantes fœminas, omnes nutrices, omnes, quæ hauriunt aquam per magnam diei partem, quæ lixivium efficiunt quæ lineam fuppellectilem lavant. Tandem, concludit P. Pafqualigus *Decis* 304. *Quando autem linea fuppellex jam mundata complicatur, adhuc labor eft notabilis, quia in ea tendenda, & extendenda, atque premenda, prout opus eft requiritur magnus conatus, unde hoc quoque exercitium tollit obligationem jejunandi*. Invenies nunc mihi velim, quæ fint Mulieres in Mundo legibus jejunii aftri-

S. Bafilius *Or*. 1. *de jejunio Conjugatorum*.

„ Jejunium .. tutus convictor conjugatis. Non fufpicatur quemquam infidias ftruere coniugio maritus confpiciens uxori familiare jejunium. Non contabefcet uxor zelotypia cernens maritum amplecti jejunium . . . . Jejunium vero in ufu conjugii modum, temperantiamque docet, ac voluptatum lege conceffarum immodicum ufum caftigans parit concor otium, ut perfeverent in oratione “.

S. Paulus 1. *Cor*. 7.

Nolite fraudare invicem, nifi forte ex confenfu ad tempus, ut vacetis orationi, & jejunio.

S. Ambrofius *Serm*. 37.

„ Formam dedit nobis Deus in hoc facto, ut jejuniorum tempore, tanquam defertum habitantes abftineamus epulis & voluptate mulieris. Ne coniungatur nobis Eva, ut nos a cafta obfervatione illecebrofa perfuafione fubvertat.

S. Auguftinus *Ser*. 78. *de temp*.

„ Caftitatem ante omnia per totam Quadragefimam ufque ad finem Pafchæ cum propriis uxoribus cuftodite.

S. Pontifex Nicolaus 1. *in Inftruct. Bulgar*. *c*. 9.

„ Si enim ex confenfu coniugatorum, etiam alio forte tempore, mundo corpore vacatur orationi; quanto potius ifto, quo „ Deo

astrictæ. Ante vigesimum primum annum jejunii lege solutæ sunt mulieres omnes. Post, aut nuptæ sunt, aut secus. Si secundum, pulchritudinem servare, & fovere debent ut facilius sponsos reperire queant. Si primum, venustas, & thorosulas se mariti exhibere debent, ut eosdem alliciant, valeantque onera sustinere matrimonii. Jure itaque ac merito, immo necessitate cogente, Pontifex Summus eo direxit suas Apostolicas Constitutiones, ut refrænaret quorumdam *nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam qui opinionum novitate gaudent*. Conferantur Patrum Sanctorum effata cum his Recentiorum opinionibus.

„ Deo etiam carnis nostræ decimas damus, quo ipsum in abstinentia Dominum imitamur.

Concilium Toletanum an. 1473.

„ Tempore, quo Sacrorum Canonum Decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis copula prohibetur.

S. Thomas Aquinas *in* 4. *dist*. 32. *q*. 1. *a*. 5. *q*. 4.

„ Quia quando novæ sponsæ traduntur, animus coniugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur, & ideo in nuptiis consueverunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi; & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipue se debent ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrare ". Si plura cupis consule Fagnanum *lib.* 2. *Decret. cap. Capellan.*

§. IV.

Nonnulli Theologi Recentiores a jejunio absolvunt circiter 50. *hominum status, idest fere omnes.*

VIII. NE suspicio ulla suboriri possit me quidpiam per exaggerationem asserere, nolo recentiorum opiniones, quibus Christianos cujusque fere status, ætatis, gradus, & dignitatis a jejunii lege absolvunt, referre. Sed id præstabo verbis P. Thomæ Hurtado, qui recenset hominum ordines, quos P. Pasqualigus solutos a jejunii præcepto declarat. Hæc enim scribit P. Hurtado *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 9.

„ IX. Et in primis miror Zachariam, qui, cum in tomo prægrandi jam citato vix sit status hominum in Ecclesia, quem ab obligatione jejunii non excludat, dicat, quod potus iste jejunium frangat, nixus frivolis argumentis,

S. Basilius *Hom.* 2.

„ Ne quis igitur semet excludat a numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Angeli sunt, qui

„ tis, cum alias ea, quæ sunt pro „ nostra sententia, valde urgentia „ sint, decis. 275. Excusat pauperes. „ 276. Servos, quibus parum cibi „ ministratur. 277. iter agentes „ qui non inveniunt sufficiens via- „ ticum. 278. illos, qui ordinarie „ pane, & aliis sustentantur. 279. „ Uxoratos, qui si jejunant non „ possunt reddere debitum. 280. „ Fœminam, quæ si jejunat *colo-* „ *res perdit*, quibus grata redditur „ marito. 281. & 285. Virginem „ sponsam, vel sponsalitia tractan- „ tem, si jejunans pulchritudinem „ amittat. 287. Omnes illos, qui „ exercent artes, vel officia laborio- „ sa, etiam si dies festivi sint, in qui- „ bus laborant. 293. Portantes „ onera. 295. Sutores. 296. Co- „ cos, qui condiunt cibos. 297. „ Fornarios. 298. Textores. 299. „ Molendinarios assistentes per diem „ molis. 300. Eos, qui circa pel- „ les curandas laborant. 301. Ar- „ gentarios, & Aurifices. 302. Qui „ vendunt per vicos, & plateas „ merces per diem integrum.

„ 304. Mulieres lavatrices, et- „ iam postquam extendunt, & du- „ plicant pannos. Sartores, & Bar- „ bitonsores non excusat, sed il- „ los eximunt Diana, & Fagun- „ dez. 305. Pictores, & Sculpto- „ res. 306. Servos, & servas ni- „ mium laborantes. 307. & 308. Ty- „ pographos, qui typis adstant. „ 309. Marinarios. 310. Milites „ præstantes. 311. Qui templa „ adornant. 312. Iter facientes pe- „ dites. 313. Etiamsi iter volun- „ tarium sit. 314. Iter facientes „ *Caballis* currendo. 315. Qui iter „ faciunt *mulabus de Alquiler*. 316. „ Ludentes pila, vel alio ludo ni- „ mis laborioso. 318. Qui debiles „ facti sunt ex nimio inhonesto „ coitu.

„ 319. Prædicatores, etiam si tri-„ qui in singulis Ecclesiis descri- „ bunt, ac recensent jejunantium „ capita.

„ Excusationes rejicit hom. 1. „ Ne causeris corporis infirmam „ valetudinem; ne dixeris, te je- „ junium ferre non posse. Neque „ enim mihi istam excusationem „ profers, sed juxta proverbium, „ Scienti loqueris, nimirum Deo, „ quem nihil fugit.

Percurrit hominum status eosque jejunio subjicit *hom. 2.*

„ Dives es, ne jejunium affece- „ ris contumelia, ne ex conde- „ mnatione ad longe majorem ine- „ diam adigaris.

„ Qui pauper est, ne simulatio- „ ne utatur erga jejunium, quum „ illud jam olim habeat & domus „ & vitæ socium.

„ Pueri, veluti plantæ teneræ, „ aqua jejunii, irrigantur.

„ Jejunium similitudo est hominum „ cum Angelis, justorum contu- „ bernalis vitæ sobrietas . . . Ex- „ cipite hoc pauperes contuberna- „ le vobis & mensæ socium. Ex- „ cipite servi, ut respirationem a „ perpetuis servitii laboribus. Ex- „ cipite divites, quod noxæ e lu- „ xu contractæ medeatur . . . Ex- „ cipite male valentes sanitatis ma- „ trem. Qui bona estis habitudine „ excipite bonæ habitudinis custo- „ dem.

S. Leo *Serm. 2. de Quadrag.*

„ Appropinquante festivitate Pa- „ schali adest maximum sacratissi- „ mumque jejunium, quod obser- „ vantiam sui *universis fidelibus si-* „ *ne exceptione denunciat*, *quia* nemo „ tam sanctus est, ut non san- „ ctior, nemo tam devotus, ut non „ debeat esse devotior. Quis enim hujus

„ tribus tantum diebus septimanæ „ sermonem habeant, cæteris die- „ bus eximuntur. 326. Lectores, „ & Cathedratici cujuscumque fa- „ cultatis ex vi muneris eximun- „ tur. Illi qui ostentationis gratia „ legunt ad opinionem acquiren- „ dam. 328. Studentes, qui con- „ clusiones defendunt, aut lectio- „ nem oppositionis faciunt. 330. „ Confessores nimium confessio- „ nibus assistentes etiam si id fa- „ ciant voluntarie. 331. Etiam si „ lucri gratia. 332. Studentes con- „ tinue. 333. Advocatos, Procu- „ ratores, Judices nimium labo- „ rantes. 334. Scribas si majore „ parte diei laborant, & secreta- „ rios Principum diebus, qui ni- „ mium laborant. 335. Episcopos „ in diebus Ordinum, aut quibus „ exercitia laboriosa exercent. 337. „ Infirmarios, qui multis infirmis „ assistunt. 339. Illos, qui in se- „ ptimana sancta flagellantur, et- „ iamsi flagellatio voluntaria sit. „ 340. Peregrinos ad Loca sancta: „ 341. Eos, qui nimium voracem „ habent calorem stomachi. 343. n. „ 5. Catholicos, qui infidelibus in- „ serviunt. 349. Eum, cui adve- „ nit Princeps hospes, ut illi in „ mensa assistat, potest frangere „ jejunium.

„ Et Decis. 325. dicit, quod la- „ bor ingenii, & nimiæ attentio- „ nis excusat ab obligatione jeju- „ nii. Unde num. 4. concludit: „ *Ex quibus colligitur, quod si quis* „ *per totum ferme diem in negotiis* „ *difficillimis occupatur, ut continge-* „ *re potest in Oratoribus Principum,* „ *Præfectis Urbium, Ducibus exerci-* „ *tuum, qui semper negotia difficilia* „ *animo revolvunt, non teneri ad je-* „ *junium, siquidem talis occupatio* „ *plurimum consumit spiritus, & in-* „ *ducit notabilem debilitatem. Et* „ *idem censendum est de cæteris Mini-*

„ hujus vitæ constitutus in incer- „ to, aut immunis a tentatione, „ aut liber inveniatur a culpa?

S. Bernardus. *Serm. 2. de Quadrag.*

„ Hactenus usque ad nonam je- „ junavimus soli, nunc usque ad ves- „ peram jejunabunt nobiscum uni- „ versi Reges, & Principes, Cle- „ rus, & Populus, nobiles, & „ ignobiles, & simul in unum di- „ ves, & pauper.

X. Te-

,, *nistris*, *qui plurimum occupantur*
,, *in negotiis publicis*.

,, Hæc doctrina *valde notanda est* ,, cum sit *nimis conformis rationi*, ,, & sic Præsides consiliorum, & ,, Consiliarii viri, & similes, *secure* sunt excusati ab obligatione ,, jejunii. Si enim Lectores, Prædicatores deobligantur a jejunio ,, propter unam lectionem, aut ,, sermonem unius horæ spatio durantem; cum isti Ministri spatio quinque, vel trium horarum assistunt, tractantes negotia difficilia, & diversa, obligati ad studendum, ut recte decidant causas, multo magis excusabuntur, non solum diebus consilii, sed etiam diebus festivis, ,, & feriatis. Ita respondi interrogatus antequam viderem auctorem istum.

,, Qui cum rationes probabiles ,, inveniret ad omnes relatos excusandos, miratus sum, non sibi ,, occurrisse ad dicendum, quod ,, chocolate non frangit; nisi forsan hoc dicat pro Italia, & aliis ,, regionibus, in quibus consuetudo ipsum bibendi non invaluit, ,, sicut invaluit in Indiis, & Hispania ,,.

X. Testimonia, quæ ex Patribus adduxi, non eo omnia pertinent, ut onus præcepti imponat; sed partim vim legis produnt, partim Christifideles excitant, hortantur, urgentque ad cohibendam concupiscentiam jejunii severitate: ostendunt quam alieni esse fideles debeant a conviviis, & comessationibus, potissimum Quadragesimæ tempore. Quod iccirco animadverti, ne cavillari quispiam possit, Patrum testimonia nimis probare, nimiumque rigorem invehere. Hac quippe tempestate adeo invaluit relaxandæ legis ausus, & indulgendi appetitionibus carnis, & concupiscentiæ libertas, quo vix, ac ne vix quidem, Patrum, & Conciliorum documenta promere liceat, quin plures inclament: Patrum

trum effata nimiam redolere austeritatem, nisi Casuistica benignitate deliniatur.

XI. Innumera alia Casuistarum testimonia adferre in medium possem. Sed pauca, quæ recensui, satis superque evincunt necessitatem cohibendi, ut inquit Sapientissimus Pontifex, nonnullorum Theologorum licentiam, qui de medio penitus legem jejunii sustulere. Convenit penes omnes Theologos, tum cessare legem, cum majori subditorum parti superflua est. Communitatem enim hominum primum lex respicit. Recentiores Theologi non pauci, circiter 50. Christianorum ordines a jejunio absolvunt: Nobiles & delicatos a carnium abstinentia eximunt ob stomachi incommodum: Fœminas fere omnes exemptas a lege asserunt. Ne multa. Rationes supputa, & summam conficito. Heinc colliges, Christianos, paucis exceptis, Casuistarum quorumdam sententiis communiter a lege jejunii exemptos esse: ergo alterutrum fatendum: aut legem jejunii sublatam esse, quia, cessante fine legis in communi, cessat lex: aut improbanda est plurium Casuistarum doctrina. Quid quod necessitatem coercendi non paucorum Theologorum in opinando licentiam, quo Apostolicæ Constitutiones BENEDICTI XIV. pertinent, agnoverunt & antecessores Romani Pontifices, & Theologi graviores. In Alexandri VII. Decreto an. 1665. hæc leguntur: *Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore . . . . summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus Modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, Sanctorum Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela.* Similia pronuntiavit Innocentius XI. Theologorum duos referam, unum Hispanum, Gallum alterum, ambos insignis Benedictini Ordinis alumnos. Primus est Doctissimus Cardinalis de Aguirre: *Sane insigni Dei beneficio tribuendum, quod non multis annis post inchoatam, aut jam grassantem licentiam opinandi in rebus Moralibus prætextu specioso illius probabilitatis, cœperunt non pauci viri pietate, ac doctrina insignes scribere contra illam ad hæc usque tempora. tom. 1. Theol. S. Ansel. dis. 2. sec. 6.* Alter celeberrimus Benedictinus est P. D. Joannes Mabillon, qui hæc scribit *tract. de stud. Monast. 1. c. 16. Postquam Neotericorum plurimi sibi campum vendicarunt*

runt de humanis actibus, & peccatis disserendi, inconsultis sacris Ecclesiæ Canonibus, eo devenit Moralium opinionum relaxatio, ut nullum pene ex criminibus censeatur, quin aliquo indulgenti colore calamistretur. Tantum abest, ut istorum Summistarum studium ad Christianæ Philosophiæ consecutionem quadantenus dirigat, quod potius ex libera ipsos legendi facultate non modicum sequatur detrimentum. Adeo tamen altas radices egerunt in quorumdam imperitorum animis adversus Christianam Theologiam præjudicia, & in Ethicen Casuisticam propensio, ut quidam Sacramenti Pœnitentiæ Minister nudius tertius lecto sequenti titulo solo: *Moralis Christiana ex Scriptura Sacra, Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis excerpta, Auctore R. P. Jacobo Besombes*, edita Venetiis apud Simonem Occhi hoc currenti mense: Lecto, inquam, titulo in volanti pagella impresso exclamavit. *Heu misera temporum conditio! Vi, & terrore ad tartara detrudere Christianos student Rigidiores isti Theologi.* Eccur? Quia Morali Christiana ex Sacra Scriptura, Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis excerpta animas dirigunt. Fortasse non verisimile factum apparebit, sed certe verum est, cujus testis est laudatus Bibliopola. In istos hæc scribit S. Bonaventura *in prolog. Confessional. Horrendum profecto est videre quosdam Sacerdotes nostri temporis, qui Sacram Scripturam, in qua præfati Regiminis ars sufficientissime traditur, & jura Canonica, & scripta Doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt, & tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt.*

§. V.

Adhortatio ad Jejunium. Funesta Christianorum illusio, quod non distinguunt Literam Legis jejunii ab ejusdem spiritu. Ab illa, non hoc, Ecclesia dispensare valet.

XII. INnumeri sunt Casuistarum de jejunio libri; sed qui disputare, non qui jejunare doceant. Hactenus & nos de jejunio disputavimus, nunc jejunium suadendum. Quasi alieno contendendi vitio in vitium prolapsi sumus contentionis. Sed Deo parere studui, qui per

Jere-

Jeremiam populum suum instruens jussit *cap.* 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo, . . . ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes: & aedifices, & plantes*. Prius convellenda praejudicia, dissipandae laxae opiniones, disperdendae distinctiunculae vanae, occludenda effugia fuerunt: nunc irriganda sacrae inediae planta, excitandum poenitentiae aedificium. Non me latet, praestiturum haec in plurium censuras incursurum. Adeo homines non pauci *Quaestionariis*, ut vocant, libris, seu aridis quibusdam decisionibus sunt innutriti, ut veram de moribus scribendi methodum fastidiant. Si enim non mentem modo, verum etiam cor emollire, & voluntatem inflectere, opportunitate data, studemus, clamitant, nos Concionatores, & Theologos agere. Nec advertunt se ignorantes prodere. Quoniam quae mores spectant, non sistunt iu mentis illustratione; sed eo potissimum spectant, ut reluctantem concupiscentiam, effraenes appetitiones voluntati, & voluntatem rationi subjiciant. Haec autem obtineri haud possunt, nisi ea adferantur in medium, quae ad ciendos affectus necessaria sunt. Quid ergo vitio vertunt usum adhibere artis, ubi vel maxime necessarius est? Arguendi ne Patres omnes, quod tropis, figuris, caeterisque artis dicendi praesidiis usi sunt? Concionatores ne, Rethoresque tantum Patres Sancti fuerunt? Revera qui concionatorii styli in morum Regulis versandis censuram impingunt, vellentque ea, qua Geometrica, & Mathematica Theoremata tractantur, methodo, morum quoque praecepta exponi, mirum in modum hallucinantur. Verum, morosis censoribus neglectis, viam insistamus.

XIII. *Filii hominum usqueque gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? Psal.* 4. An ignoratis, gulam unum esse ex septem capitalibus vitiis? Quin gulae praestigio usus serpens est, ut priores Parentes nostros perimeret. Esus interdicti pomi universum infecit humanum genus. Voluptariae epulae, exquisitaeque dapes pabulum vitiis omnibus subministrant, potissimum vero libidini. *Semper enim* (inquit Augustinus serm. 2. in prim. Dom. Quadr.) *juncta est saturitati lascivia. Vicini sibi sunt venter, & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur. Ejecit ergo nos de Paradiso cibus? Reducat esuries, reducat jejunium*. Ex gula immanis illa soboles proficiscitur, quam S. Thomas describit 2. 2. *q.* 148. videlicet mentis hebetudo, scurrilitas, loquacitas,

stupor,

ſtupor, immunditiæ, multiloquium, ineptiæ. Heinc rei familiaris profuſio, morborum ſeries, & tandem accelerata mors tum corporis, tum animæ. *Plures occidit gula, quam gladius.*

XIV. En Sacræ inediæ neceſſitatem. Indomita hæc bellua nonniſi pabuli ſubtractione frænatur. *Si equo utereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare* (inquit Auguſtinus tract. de utilit. jejun. *c.* 3.) *non ne, ut ſecurum iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea jumentum meum eſt. Iter ago Hieruſalem. Plerumque me rapit, & de via conatur excludere. Via autem mea Chriſtus eſt. Ita exultantem non cohibebo jejunio?* An hic non vides, ipſius naturæ legem jejunium præſcribentem? An ignoras Divina, & Eccleſiaſtica præcepta, quæ hocce naturæ jus moderantur, definiuntque? Jejunium eſt exterioris pœnitentiæ officium præcipuum. Tu errores deteſtaris Lutheranorum, Calviniſtarumque effutientium, *optimam pœnitentiam novam eſſe vitam*, ita ut *omnem ſatisfactionis vim & uſum tollant*, inquit Tridentina Synodus. Sed novatores ſibilis hanc excipiunt doctrinam, dum te pleno ventre audiunt de jejunio, de laborioſis pœnitentiæ operibus diſputantem. Quæſo te, ut ad punctum temporis ſaltem æqui hominis rationem induas, ut ex animi ſententia reciproca ineamus colloquia. Si vel ipſo Quadrageſimæ tempore, quo ſacroſancta auguſtæ Religionis noſtræ Myſteria te ad pœnitentiam, ad humiliationem, ad perſolvenda Divinæ Juſtitiæ graviſſima pro admiſſis flagitiis debita, ad imploranda Divina ſubſidia, ad vindicem placandam Juſtitiam, ad conciliandam Clementiam undiqueverſum alliciunt, invitant, impellunt, nihilo magis non commoveris, quam ſi hæc ad te nihil pertinerent: Si tot preſſus pœnitentiæ corporalis, ſeu jejunii aculeis abdomini indulgere ſub variis prætextibus pergis, tu Chriſti Diſcipulis, & non Epicuri aſſeclis accenſendus eris?

XV. Diſpenſationis privilegium, inquis, obtinui ab Eccleſia. Eſto. At nunquid ab Eccleſia nactus es privilegium, ne tenteris a concupiſcentia tua, ne bellua corporis tui ſævlat in animam tuam, ne pœnas peccatis tuis debitas Divinæ perſolvas Juſtitiæ? Tam alta eſt hallucinatio tua, ut non modo temetipſum, ſed & Deum ipſum decipere audeas? Diſtingue pauliſper literam, ſeu corticem, a ſpiritu præcepti

Jeju-

Jejunii litera delectum ciborum, horam refectionis, & similia præscribit. Spiritus finis, & anima jejunii est carnis cohibere petulantiam, appetitionibus frænum imponere. Jejuniorum austeritatem exteriorem delinivit Ecclesia jentaculi serotini, & vini permissu, & horæ refectionis capiendæ acceleratione. Verum nec tantillum temperavit jejunii spiritum. Hic nec dispensationi Ecclesiæ, nec consuetudinis privilegio, nec Theologorum disputationibus subjacet. Communi hominum imbecillitati indulget Ecclesia, quidquam exterioris severitatis temperando. At non propterea, aut eximit, aut eximere a spiritu pœnitentiæ exterioris potest. Quin, quo major est diminutio macerationis exterioris, eo ferventior sit oportet spiritus pœnitentiæ, & aliarum virtutum officia frequentiora, ut justa fiat compensatio. Mitior est hodierni jejunii austeritas? At mitior ne concupiscentia, blandiorve carnis rebellio? Minor ne hodie necessitas pugnandi adversus gulam, & tenebrarum potestates? Revolve prisca, & recentiora sæcula. Reperturus ne eris Christianorum quempiam Cœlum ascendisse, qui carnem suam jejuniis, vigiliis, aliisque austeritatibus non afflixerit? Severior ne Divina Justitia primis Ecclesiæ sæculis, quam nostris? Abundantior ne nunc, quam tum Misericordia? Latior ne evasit Paradisi via, amplior janua? Pauciora ne sunt tua scelera, quam Sanctorum illorum, qui assiduis jejuniis corpus suum perdomabant? Clementior ne Deus erga te, quam erga Sanctos, & innocentes suos? Illusos ne hos pronunciaveris, quod tanta austeritate carnem suam conflictaverint? Ergo te deceptum, te obcœcatum fateare necessum est. Concionatoria ne hæccine sunt? Resipisce miser, & arma lucis indue. Jejuna, quia peccasti: jejuna, ut non pecces: jejuna, ut accipias: jejuna ut permaneant quæ accepisti, inquit alicubi Chrysostomus. Oculos, animumque intende in Scripturas, in Sanctorum tum doctrinam, tum exempla, illorumque insiste vestigiis, si quo pervenerunt illi, petere sincere velis. Recentiores Theologos, qui te condocefaciunt vias, rimas, latebrasque, quibus declinare jejunii legem queas, quin modum vincendi concupiscentiam doceant, prorsus devita. Et ne suspiceris, me quoslibet indiscriminatim Theologos recentes parvifacere: legendos tibi summopere suadeo Ludovicum Granatensem, Franciscum Salesium, Thomam de Villa Nova, & ut innumeros

meros prætercam, Cardinalem Bellarminum, qui hæc *Dom. 4. Adv. ser. 9.* scribit. *At vero hodie ita delicati, ita teneri effecti sumus, ut vix paucorum dierum jejunia pro multis sceleribus, atque delictis sustineri possint. Cilicia vero & cineres, vigiliæ & humiliationes, flagella & aliæ carnis afflictationes, non solum in moribus nostris, sed vix jam in LIBRIS reperiuntur.* Hos libros relinque, qui tibi solida pœnitentiæ arma, quibus devincere hostes valeas, non suppeditant; sed contra, te armis spoliant, ut facilius in hostium tyrannidem incidas. Gulæ insidiæ quotidianæ sunt, & familiares. Alimenta omnia corpori subtrahere nemo absolute potest. Urget quotidie necessitas edendi & bibendi. Verum hæc ipsa suavis est nobis: & sæpe ipsi ignoramus, utrum alimentum petat inevitabilis corporis cura, an voluptatis fallacia nos decipiat. Ad mensam accedimus cum duobus hostibus pugnaturi: cum fame, ut corpus interitui subducamus: cum voluptate, ne anima concupiscentiæ præstigiis capiatur. Si hoc certamine victor egredi aves, S. Augustinum imitare, qui *lib. 10. confess. c. 3.* hæc scribit. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumeremus. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est . . . Et cum salus sit causa edendi, & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo . . . His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam.* Rides fortasse, quod hæc minuta crimina devitanda suadeam. Verum si ista parvipendas, vix graviora vitabis. Cave ne nimia te fiducia decipiat. Si enim non times, jam lapsus es. Convivia appetere, lautioribus vesci epulis, domos concursare, ut amicorum mensis opipare instructis accumbas, in ipsa Quadragesima privilegia dispensationis captare; non Christianorum est, sed comissatorum, quorum Deus venter est, quorum finis interitus, & fletus æternus. Nec dicas. Hui tu! Num reformator es Mundi? Tu disciplinæ reparator? Tu ne solus sapis? Tibi ne soli fasces cæteri submittent? Absit. Non mihi, sed Christo, ejusque Vicario, legi, & præceptis subiicienda voluntas est. Pervetustas has nænias, omnibus legum transgressoribus quam familiarissimas, sæpius labefactavimus. Sciant interim prudentissimi homines

mines paucos esse electos, paucos qui arctam viam ambulent. Quid quod rari sunt & veri amici, rari & sapientes, rari & prudentes, rara virtus. Audiant Hieronymum *lib. 2. adversf. Jovin. Nec turbare nos debet, si rari sint bujus propositi sectatores; quia rari sunt & amici boni, & fideles, & pudici, & continentes, semperque virtus rara est. Lege Fabricii continentiam, Curii paupertatem, & in tanta Urbe vix paucos invenies, quos sequaris.*

FINIS.

M O N I T U M
T Y P O G R A P H I.

CUM clarissimi hujus Auctoris opera omnia & anxie perquirantur, & avidissime legantur, maximam apud studiosos me gratiam initurum putavi, si Epistolam hanc, quæ sine auctoris nomine primum impressa fuit, iterum imprimendam curarem; non eo dumtaxat consilio, ut ejusdem auctorem patefacerem, quod quidem ipsemet Tom. X. Theologiæ Moralis jam fecerat, sed ne, quod propter exiguam operis molem facile evenire potest, deperiret fortasse hæc commentatio, qua & historiæ veritas asseritur, vindicaturque, & nobilissimæ inter Patritias Venetas familiæ propago illustratur.

EPISTOLA

AD

POLYCARMUM

VIRUM CLARISSIMUM

IN QUA

B. NICOLAI JUSTINIANI

VENETI MONACHATUS

A fabulis, vanisque commentis asseritur.

EPISTOLA
AD
POLYCARMUM.

I.

POstulas a me Cl. Polycarme, quid caussæ sit, cur hac tempestate fervens recruduerit de B. Nicolai Justiniani Monachatu disputatio? Nisi religioni mihi verterem, tuis refragari petitionibus; nihil ad te super hoc litterario certamine rescriberem. Quoniam vero votis satisfacere tuis decrevi, ab ovo, quod res est, arcessam. A Theologis in discrimen vocari cæptum, fruantur ne Pontifices Summi facultate solemnia Claustralium vota relaxandi, ut hi, sacra professione soluta, celebrare connubia valeant. Adfirmantem Canonistæ, accedente magna Theologorum parte; negantem Theologi plures sententiam defendunt. Illi, ut suam evincant caussam, nonnullos Monachos, quos inter eminet B. Nicolaus Justinianus, in medium promunt, qui reapse vi Pontificiæ indulgentiæ, Monachatu dimisso, matrimonium iniere. Hi, ut ab hoc se expediant nodo, tria exhibere responsa solent, quorum familiarius est, ad fabulas amandare ejusmodi Monachos Pontificia authoritate uxoratos. Quod responsum præ ceteris adhibent P. Joannes Baptista Gonet in suo Clypeo Theologico, *Tom. v. disp. 9. art. 2. §. 4.* PP. Salmanticenses Scholastici *Tom. 8. tract. 20. disput. 1. dub. 7.* Theologi isti revera doctissimi, ita controversiam hanc exhauserunt, si Theologica principia spectes, ut posteris disceptandi viam clauserint.

II.

Nihilo tamen secius P. Gundisalvus Carrattinus, ut eruditionis, & acuminis sui periculum faceret, prolixa Dissertatione hanc illustrare spartam nuper aggressus est in sua VITA CLAUSTRALI, quam inscripsit OPUS CRITICO HISTORICO THEOLOGICUM. Quamquam enim nihil afferri lucis disputationi, ad Theologiam quod attinet, & ipse vidit: tamen aliam superesse viam deprehendit, qua meliori in lumine præfatam collocaret quæstionem. Animadvertit homo eruditus, elapsi sæculi Scholasticos Theologos critices, & historiæ subsidiis destitutos omnino. Quare non eamdem recoquere crambem arbitratus est, si controversiam Theologicam, quæ ab historiæ documentis plurimum pendet, ad severioris critices leges revocaret. Nec immerito, si consilio eventus respondeat. Quod ut succederet, nihil ipse intentatum reliquit. Levi utique manu in sua vita claustrali *Dissert. vi. pag. 136.* rem hanc attigit. Contentus tum fuit cum *P. Gonet & Salmanticensibus* putidis accensere fabellis B. Nicolai Justiniani Monacha-

tum. Ultra enim progredi non licuit, ut cuticulæ caveret fuæ. Adeo fiquidem feftiva, ac lepida hujufce Monachatus fabula vifa illi eft, ut primo cogitatu cachinnis difrumpi vifcera fenferit fua: iccirco ne impotenti rifus impetu animam efflaret, ab ulteriori difceptatione abftinuit.

III.

Secus emunctæ naris eruditis Monachatus ejufmodi apparuit, iis potiffimum, quorum hæc cauffa intereft. Quare P. D. Nicolaus Antonius Juftinianus perdoctus facrorumve Canonum Lector, duos, B. Nicolaum nempe, & Bernardum Nobiliffimæ fuæ, inter Venetas Patritias, Familiæ præftantiffimos viros a P. *Carrattini* interpretamentis vindicandos opere pretium exiftimavit. Controverfiam, quæ utramque difputatur in partem, ex inftituto verfare noluit, fed brevi, elegantique Epiftola ad Amicum data, examuffim humanitatis, & modeftiæ legibus, ut Religiofum, Nobilemque virum decet, fervatis, fabulam Bernardo Juftiniano Oratori, atque probatiffimo hiftorico impactam convehit ipfius Bernardi verbis.

IV.

P. Carrattinus, ut primum hanc vidit epiftolam, e re fua effe exiftimavit, eamdem refellere, & quantum in re hiftorica, in arte critica, omnique facultate valeat, patefacere Reipublicæ litterariæ voluit. A Grammatica initium duxit, Verborum *lego*, & *video* amplam poteftatem acute exponens, Calepino, & Cl. Facciolato ducibus. Chronologiæ abftrufiora arcana invadens, novas rei critices leges eruditis omnibus impervias excogitavit. Id dumtaxat bonis omnibus difplicuit, quod Nobilem, & pluribus Nominibus clariffimum adverfarium P. D. Nicolaum Juftinianum dicteriis, & fcommatis carpere, mordere, & fugillare aufus fuerit.

V.

Hactenus, cariffime Polycarme, paucis perftrinxi litterarii diffidii nuper accenfi fpecimen fuper Monachatu B. Nicolai. Ad rem ipfam nunc accedendum eft. Verum, ut quæ fermone excuffurus fum, facilius teneas, ordinem, quem fervabo, prius tibi patefaciam, neceffum eft. Erit autem ejufmodi. Primum fententiam *P. Carrattini* in fua vita Clauftrali de hoc Monachatu propugnatam ob oculos tuos ponam. E regione Textum Bernardi Juftiniani. Tum commenta valde, ut ego quidem arbitror, peregrina, quibus hunc Bernardi Textum *P. Carrattinus* pertentat eludere criticis animadverfionibns expendam. Poft concludam *P. Carrattinum* ab fcopo declinaffe in fua vita Clauftrali, in fcholiis vero ad epiftolam P. D. Nicolai Juftiniani adjectis femetipfum fuperaffe. Poftremum, vindicata Bernardi Juftiniani narratione, nonnulla documenta promam, quæ luculentius Monachatum B. Nicolai affertum a Bernardo confirmant. Cauffam ergo ingrediamur.

P. Gun-

P. Gundisalvus Carrattinus in sua vita Claustrali Dissert. VI. pag. 136.

Quod de Nicolao Justiniano narrat Bernardus Justinianus in vita Patrui sui D. Laurentii Justiniani ridiculum est. *Nam ait ab Alexandro Papa III. Nicolaum Monachatu, & solemnibus votis exemptum, absolutumque fuisse, qui postmodum uxorem ducens Laurentium genuit primum Venetiarum Patriarcham.* Cachinnis pene rumpor, dum hæc in Bernardo Justiniano LEGO: *& dico. D. Laurentius Justinianus ab Eugenio Papa IV. ad Venetum Patriarchatum evectus est, & NICOLAUS ejus Pater ab Alexandro III. monasticis votis absolutus est, quum bis inter Pontifices plusquam ducenti interfluxerint Anni? Ponamus Nicolaum exuisse cucullum sub finem Alexandri III. anno videlicet MCLXXXI. eodem, vel sequenti anno quæsita sibi puella, cum ea matrimonium iniisse. Laurentium vero ejus filium sub initium Pontificatus Eugenii Venetis infulis decoratum fuisse anno scilicet MCCCCXXXII. aut ducentum post annos a ducta uxore Laurentium genuit Nicolaus, aut Laurentius ipse ducentum quinquaginta annos natus Episcopus factus est, quod nec Bernardus ipse Justinianus dixerit.*

Bernardus Justinianus in vita S. Laurentii Justiniani. cap. I. pag. I.

Natus est igitur Laurentius Venetiis Bernardo Justiniano Patre, Matre vero Quirina. De utriusque familiæ Nobilitate, neque multa dicere, neque omnino silere licet sine illius injuria... Hujus familiæ virtus cum multis in bellis, tum in eo maxime claruit, quod a Vitali Michaele Duce Veneto adversus Emanuelem Imperatorem Constantinopolitanum feliciori initio, quam eventu gestum est... Nam ad unum omnes, sic volente Deo, præter aliquot senes sufficiendæ soboli frigidiores, forte, evenit, ut unus tantum superesset adolescens Nicolaus nomine apud Monachos S. Nicolai. Vitalis Dux laceram, & tam milite, quam Remige vacuam classem trahens in Patriam reversus, & cum præter alia publica incommoda, tum etiam quasi excidii illius familiæ caussa fuisset, quæ toti Civitati fuerat carissima, incidit in populi odium. Et ut quoquo modo posset, reconciliaret, statuit non solum restituere illam in lucem, sed copulare etiam sibi sanguine. Impetrat ab Alexandro III. Pontifice Maximo, ut liceat adolescenti Monacho solvere vinculum Religionis ad reparandam sobolem suæ gentis, eique unicam filiam despondet ANNAM *nomine. Faustæ fuere nuptiæ. Donavit illos Dominus maribus sex, & tribus femellis. Lætus tam prospera prole Nicolaus, & Deo gratias agens, voti veteris, Religionisque non immemor ad Monasterium reversus est... Ex hac igitur sanctitatis propagine Laurentius ortus. BERNARDUS Pater juvenili ætate in medio magnorum honorum cursu surripitur. QUIRINA Mater & ipsa clarissimo genere &c.*

V I.

Quo se recepit P. Carrattinus, lecto hoc sibi ab Adversario objecto textu? Ad honestam Palinodiam canendam? Falleris mi Polycarme. Quæ gessit paucis accipe, recusit sui adversarii *epistolam ad amicum* pluribus scholiis auctam, hacque Epigraghe inscriptam. *Epistola Anonymi Scriptoris adversus Authorem operis de VITA CLAUSTRALI ad Amicum intempestive scripta opportunis scholiis tempestive illustrata*. His scholiis refellit, quæ sibi objecta fuerant, suamque sententiam propugnat. Et principio lamentatur sibi opponi jactantiunculam illam: *Cachinnis pene rumpor, dum hæc in Bernardo Justiniano lego*. Ecqua, inquit ille, honestate mihi hoc improperatur? Non ne duobus mensibus a publicatione VITÆ CLAUSTRALIS, ut audivi rumusculum hac super re fieri, & mendi admonitus, e vestigio edidi pagellam operi meo assuendam, in qua fassus sum, non in Bernardo, sed in alio Authore id me legisse? En verba retractationis. *Dixit author, se legisse apud Bernardum Justinianum, quæ de Parente D. Laurentii Venetiarum Proto-Patriarchæ ejus Patrui referuntur: meminit non in laudato Bernardo, sed in alio Scriptore Bernardi dicta referente ea legisse*. Quid hinc? Retractatio isthæc, non imposturam Bernardo Justiniano aspersam, sed falsam jactantiam spectat, qua dixerat, se in Bernardo legisse, quæ exscripsit ex Gonet. Quænam Cl. Adversario scribendi caussa? Ut circulatoriam hanc ostentationem exprobaret? Minime gentium. Sed studium vindicandi gentilitium suum Historicum gravissimum ab immani impostura, unice illum ad scribendum impulit. Idque sub epistolæ initium, se cumulate, diligentissimeque præstiturum Amico spondet. Accedit P. Justinianum omnino latuisse Carrattini Palinodiam, quam tum primum agnovit, cum vidit suam epistolam vanis deturpatam commentis.

V I I.

Scire ne cupis, mi Polycarme, qua humanitate, atque honestate *P. Carrattinus* hanc modestam sponsionem excipiat? Lege quæ hic subjiciam. Sic quippe scribit. pag. v.

Quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu?

„ Ex hoc videlicet Tumido adeo, splendidoque verborum apparatu,
„ & *thrasonica* confidentia quilibet expectat adminus genuini *Bernardi*
„ *Justiniani* autographum, nec non synchronorum, aut oculatorum te-
„ stium juratam fidem . . . sed vereor ne fidei stet ARDELIO.

Parturient montes nascetur ridiculus mus.

Hactenus Carratinus. Satin' modestiæ, honestati, caritatique consultum? Immo plusquam satis, si hominis indolem spectes. Veretur, ne fidei stet *Ardelio*? Quid si staret exactissime? Quid si autographum, quod poscitur, oculis obiiceret visendum, manibusque contrectandum? Verum antequam id ego præsto, scholia *P. Carratini* exscribere, brevibusque animadversionibus illustrare juvat.

VIII.

Laudatæ retractationis *P. Carrattinum* doctiorem in re critica factum pœnituit. Cum illam evulgavit, nondum plene amplam verbi LEGO potestatem assequutus erat. Re penitius inspecta, novisque eruditionis subsidiis instructus, manum cum hoste conseruit. Quo autem conatus suos collineat? Ut propugnet veram esse hanc periocham. *Cachinnis pene rumpor dum hæc in Bernardo Justiniano LEGO*, quamvis reapse non in Bernardo, sed in Gonet, Sarnellio aliisque Auctoribus legerit. Ecqui fieri potest, ut tantum Paradoxum evincat? En illius argumentationem, Verbum LEGO inquit homo criticus, *Colligo* significat. Calepino interprete. Nec mussites, subjectam materiam verborum definire significatus. Quoniam, ut advertit Facciolatus *Lego* primario *colligere* significat. Ita res se habeat. Quid inde? Adhuc sine intellectu es? Hæc periodus, *Lego in Bernardo Justiniano*, hunc effert sensum. *Colligo ex P. Gonet, ex Baronio, ex Sarnellio*. Papæ! Valeant nunc Caramuel, Diana, Tamburinus, Escobarius primaque casuisticæ eruditionis lumina. Simile profecto restrictionis mentalis genus excogitare illi haud valuere. Ne vero invidiam conflare litterato homini videamur, hæc scibit pag. VII.

„ Carrattinum testari, se se legisse ipsum *Bernardum*, mendax est, „ qui asserit: aliud quippe est dicere: *dum hæc in Bernardo Lego*, aliud „ vero *testor me me legisse Bernardum ipsum*. Prius scripsit *Carrattinus*: alterum vero *Carrattino* adfingit, atque adsuit intempestivus „ Scriptor. Fieri enim potest, ut quis in *Bernardo legat*, quin videat *Bernardi* opus, dum in quopiam alio Scriptore illum offendat, ut revera in *Baronio*, & *Sarnellio* offendit *Carratinus*. „ At vero, cum quis testatur se se legisse *Bernardum ipsum*, perquam „ clarissime innuit, se se in ipsum *Bernardi* opus incidisse, illudque „ conjectis oculis reapse legisse. Id & popellus intelligit, antequam „ manum ferulæ supponat. Figurata locutio, & tropus est *Tò Lego* „ accipere, quemadmodum accipit intempestivus homo. Obvius quippe „ hujus vocis *lego* significatus est *colligere*. Ita Grammatici. Lege, lege Jacobum Facciolatum in *Calepino* ad litteram *L. lego, is, ectum* „ a. 3. Raccogliere, *proprie est colligere hinc atque illinc decerpere, eligere. Metaleptice accipitur pro scripta oculis percurrere, quia litteræ, & voces colliguntur, ut oratio fiat*, leggere. Ita Facciolatus. Ea propter „ verba hæc, *dum hæc in Bernardo Justiniano lego*, idem prorsus sonant, „ ac si diceretur, *Dum hæc colligo in Bernardo* vel *ex Bernardo*: intellige mi intempestive, id, quod *facile* subintelligitur: *apud Baronium, Sarnellium, aut quempiam alium*. Semper igitur verum est, me „ cum *Bernardo* loquutum fuisse, nempe aut domi, aut extra, eumque „ vidisse oculis, aut mentis, aut corporis, quod perinde est.

IX.

Vin' secretiora critices arcana? Tibi ultro mox dabit. Illud nunc memoriæ commenda videlicet, illius periodi, *dum hæc lego in Bernar-*

do Justiniano, fgnificatum litteralem, figuris, tropifque fublatis, hunc effe: *dum hæc colligo in Bernardo, vel ex Bernardo apud Baronium, Sarnellium, aut quempiam alium*. Videlicet apud *Pretejanum*, apud *Berlink* &c. Hunc vero effe germanum, obviumque fenfum fequenti argumentatione, e veftigio confirmat.

P. Carrattinus ibidem pag. VIII.

„ Sed quia Logomachiam mihi paravit metalepticus Grammaticus, „ non pigeat hanc profequi paulifper fuper verbo *video* verbi *lego* amico & fodali. Infulfa videbitur, fed eft tamen Grammatici noftri ingenio debita. Dic fodes, mi metaleptice, non ne centies, tumet videre fana mente, & ante meridiem afferis, quod revera non vides? Et tamen nemo unus eft, qui tibi fuccenfeat, arguatque de mendacio. Nec paradoxum narro. Fac fiquidem, aut finge tibi quempiam iftheic Venetiis, te admonere, quod *Fr. Carrattinus*, contra quem ad amicum fcripfifti, nunc Veronæ Epiftolam tuam dignis fcholiis illuftret: tumet hæc aperto ore audiens, narranti homini refpondes ftatim: video: *vedo*: & tamen me non vides, etiamfi de excelfa, nobilique D. Marci Turri profpicias. Viden', quomodo hoc tuum *video* te non videntem, tantumque intelligentem facit? Nec reponas velim, te videre Carratinum, quamvis, non præfentem in verbis hominis narrantis; hoc enim lepidius effet, quandoquidem verba non in pupillæ retina pinguntur, fed auris tympanum pulfant. Confer verbum *video* cum verbo *lego*; deinde fi potis es, me argue, atque caftiga.

X.

Hæc impervià critices Arcana referavit *P. Carratinus*. Illa ego, tametfi longiufcula refcribere volui, ut qualis fit illius VITA CLAUSTRALIS fimili prorfus doctrina, & eruditione pleniffima omnibus patefacerem. Audio te, mi Polycarme, fic me redarguentem atque increpantem. Næ tu prudens difputator! Huccine te, malum, res adduxit, ut cum hoc hominum genere pedem conferas? Inveniant ifti fui fimiles, qui in his figmentis vix anicella dignis, tempus & operam ludant. Quid enim ratiociniis pugnare cum homine pergis, qui aliis omnino armis depræliatur? Nullius ex tali certamine lucri fpes affulget, periculi plurimum: faltem imprudentiæ nota non declinatur. Bona verba quæfo mi Polycarme: Nec enim, ut tu exiftimas, res fe habet. Quandoquidem fimillima iis, quæ retuli, & longe pejora quæ narraturus fum, Carratinus fcripfit in *Vita* illa *Clauftrali*, in qua argumentum, fi quod eft in univerfa Theologia graviffimum, trium Monafticæ Profeffionis votorum verfat. Et huic ergo difputationi fua ineft utilitas, proventufque. Quinam? Ut quales fint homines ifti, qui ei facræ difputandæ penetralia ingredi aufint, palam fiat. Intereft enim Reipublicæ litterariæ quam plurimum, fimiles noffe eruditos. Et ut ftatim emolumentum, quod difputatio hujufmodi parit, tu ipfe percipias, fub oculos revoca bellam illam mentis reftrictionem. *Dum hæc lego in Bernardo Justiniano*: ideft *colligo in Bernardo Justiniano apud Baronium, Sarnellium, & quempiam alium*. Bene habet. Quid ergo Palinodiam

nodiam cecinisti? Si verbum *lego*, eumdem ac *colligo* sensum prodit, nulla opus erat retractatione. Lamentaris, quod vitio tibi Justinianus verterit, jactantiam illam, qua dixisti, te apud Bernardum, non apud Gonet legisse fabellam hactenus descriptam; sed injuria. Quod tibi potissimum exprobrat Cl. Justinianus, est, quod Nicolaum pro *Bernardo*, & Annam pro *Quirina* legeris. En verba Justiniani . *Quam hallucinatus est Frater ille, dum Nicolaum pro Bernardo, & Annam pro Quirina* legit.

VI.

Porro in Scholio proxime sequenti pag. IX. ut laudatæ suæ *Vitæ Claustrali* existimationem conciliet: ut imperitis imponat, doctrinam in eadem contineri ex Patribus, Conciliis, & Pontificibus haustam, sequentia scribit. „ Si quid mihi ex lectione Auctorum, quos, revera „ legi, & nocturna diurnaque in ea elaboranda VITA CLAU- „ STRALI, versavi manu, arrogatum voluissem, aperte dixissem, „ me legisse *Eusebium*, *Chrysostomum*, *Originem*, *Palladium*, *Cassianum*, „ *Basilium*, *Ruffinum*, *Moscum*, *Hieronymum*, *Salvianum*, utrumque *Dionysium* Areopagytam, & Cartusianum, *Bernardum*, *Holstenium*, *Menardum*, *Ruinartium*, *Mabillonium*, *Martene*, *Montfauconium*, *Pultæum*, „ *Basnagium*, *Philonem*, *Lupum*, Regulas fere omnium Recentiorum „ ordinum, Theologos quamplures, Concilia usque omnia, & Bullaria; Ecquid legendum non erat, aut quid a me lectum non est pro elaborando mea VITA CLAUSTRALI?

XII.

Audistin' mi Polycarme? Qui talia legit, VITÆ CLAUSTRALIS doctrinam suscipit, ut SS. Patrum elaboratum, exquisitumque Epitomen, ut doctrinam Ecclesiæ. Verum enim vero cum ad critices Carrattinianæ Regulas intendit animum, e vestigio infert, jactatam lectionem universæ antiquitatis, hunc prodere sensum. *Legi Eusebium*, *Chrysostomum* &c. idest *Collegi* ex Eusebio, Chrysostomo *apud Franciscum Bordonium*, *apud Joannem Caramuelem*, *apud Antoninum Dianam*, *apud Tamburinum*, *Escobarium*, *aut quempiam alium laxioris Ethices Casuistam*.

Quid opponis? Quo te recipis? Habes tu mi Polycarme, quid illius nomine reponas? Qua siquidem ratione ille asserit *lego in Bernardo* intelligendum esse *colligo ex Bernardo apud Baronium Sarnellium*, *aut quempiam alium:* eadem omnino concedat oportet, ejusmodi Periocham *legi Eusebium*, *Chrysostomum &c.* intelligendam esse hoc sensu, *collegi ex Eusebio Chrysostomo apud Bordonium*, *Caramuelem*, *Dianam*, *Leandrum*, *Tamburinum &c.* Quin potiori jure hæc jactata Patrum, Conciliorumque lectio hunc præfert sensum. Quoniam reapse doctrina vitæ Claustralis, non secus Patribus, Conciliis, atque Ecclesiæ doctrinæ repugnat, ac luci tenebræ. Contra satis affinis est laxis opinionibus Bordonii, Dianæ, Caramuelis, aliorumque similium. Suo ergo proventu non caret disputatio nostra, quæ eo spectat, ut palam faciat non feli-

cius Carrattinum refellere *Disciplinam Apostolico-Monasticam*, ac Monachatum B. Nicolai Justiniani.

XIII.

Sed alia illius commenta in medium veniant, non minus lepida & festiva, quam cætera, quæ indicavi, P. D. Nicolaus Justinianus in sua ad Amicum Epistola modeste indicavit, noluisse Carrattinum ingenue fateri quod res erat, nimirum se scolasticis *Salmanticensibus & Gonet* transcripsisse imposturam adfictam Bernardo Justiniano, ne proletarium, loco eruditi critici, se proderet, atque adeo scripsisse jactabundum. *Cachinnis pene rumpor, dum in Bernardo lego.* Hæc inaudiens cachinnos vertit in iram, atque excandescens, juratis Diis, exclamat. *Quid enim* (inquit pag. 1x.) *MEDIUS FIDIUS ex PAUCIS unius Biographi pagellis mihi ad arrogantiam vindicassem?* & paulo ante. *Quasi vero majorem eruditionem ex Bernardo, quam ex Gonet, aut ex Baronio mihi comparare potuissem?* . . . . *Præterii fontem, quem limosum, & cænosum credidi. Malui ex rivulis aquam haurire, quam puriorem & limpidiorem existimavi. Nec tardi ingenii est rivulos hoc modo consectari, fontes non videre, sed prudentis, ac perspicacis, quod & Tullius ipse concesserit.*

XIV.

Peregregie. Perspicacis scilicet, & prudentis ingenii est, Probatissimo Historico, qui propriæ familiæ gesta ex instituto narrat, contempto, adire *P. Gonet* Cænobitam Gallum, & Theologum scholasticum, ut exactior habeatur Venetæ Justinianæ familiæ notitia. Bernardi Historia de S. Laurentio Justiniano *limosus & cænosus fons.*

Ex Theologia scholastica P. Gonet rivulos limpidissimos derivat ad illustranda Familiæ Venetæ gesta. Dic sodes. Si cænosus fons est, qui fieri potest, ut limpidi sint rivuli? Non ne hi a fonte profluunt? Limosus fons est Bernardi Historia. Theologia vero scholastica P. Gonet rivulus limpidissimus? Inficias ne iveris? Heus tu in arte critica es innocens. Ignoras ne *P. Gonet* Quinque Thomos in Folio Theologiæ Thomisticæ edidisse, Baronium duodecim, Salmanticenses tredecim, & amplius volumina magna publici juris fecisse? *Bernardus* tuus Justinianus *Paucas Pagellas* typis prodidit; dicas nunc mi metaleptice? Numquid ego ex pauci pagellis Bernardi tui tantum eruditionis mihi comparassem, quantum assequutus sum ex lectione Gonet, Salmanticensium, Sarnellii, & Baronii? *Medius Fidius* succenderer adversus istos novissimos *criticulos*, qui pluris faciunt quempiam parvulum venustum codicem, aut membranam corrosam, quam ingentia nostrorum Theologorum volumina. Numquid abstinendum mihi erat a revolvendis his magnis voluminibus, ut *in paucis pagellis* spectandis, otio, & litteris abuterer? *Quasi vero majorem eruditionem ex paucis unius Biographi PAGELLIS, quam ex GONET mihi comparare potuissem?* Noli ergo amplius aures obtundere meas, istius tui Bernardi Historia. *Paucas* ego ejusdem *Pagellas* nec legi, nec æternum legero. Audio. Similis

lis revera mihi videtur novus iste Criticus illi Franciscano, qui opponenti sibi auctoritatem Abrahami Bzovii in caussa stigmatum S. Catharinæ Senensis reposuit. *Adducit præterea Abraam Bzovium, quem pudet habere in nostra Bibliotheca, quem noluimus consulto, nec in manus sumere, nec inspicere quidem, nec ipsum consulere quid de Catharina sentiat. Apud Joannem Martinez de Prado tom. 1. Moral. in Append. pag. 653.*

XV.

Lepidæ critices Claustralis nostri hactenus velitationes, ut quædam lectoris diverticula præcesserunt. Res ipsa nunc via & ratione dispicienda. In hoc unice controversiæ cardo vertitur, scripserit ne Bernardus Justinianus, Patrem S. Laurentii, qui natus est anno MCCCLXXXI., mortuusque MCCCCLV. fuisse B. Nicolaum, qui natus est circiter annum MCLIV. Hic est caussæ status: sit ne tam putidi Anachronismi reus *Bernardus*, ut patruo suo S. Laurentio Patrem dederit a duobus jam sæculis e vivis sublatum? Adfirmat *P. Carrattinus*, cum Gonet, Salmanticensibus, Antonio Terillo, Baronio, Sarnellio, & aliis. Nos contra asserimus, Anachronismum hunc apertam esse imposturam per summam injuriam Bernardo impactam. Idque duplici via evincam. Primum conjecturis. Post documentis loculentissimis, quæ rem in meridiana luce locant.

XVI.

Et ut a conjecturis orsa capiam, non nulla de Bernardo Justiniano delibem oportet, quæ caussam meam magnopere juvant. Istius acta latine scripsit Antonius Stella Venetus, & Plebanus Ecclesiæ S. Moysis, eaque edidit Venetiis an. 1553. in 8. Ejusdem præcipua gesta perstrinxit Cl. Vir Apostolus Zeno Caroli VI. Imperatoris Historicus & Poeta in diurno litteratorum Italiæ tom. 19. a pag. 367. & seqq. Natus Bernardus est anno MCCCCVIII. Patavii litteris a pueritia operam dedit. Togam Patritiam induit anno ætatis suæ XIX. Non ob id intermisit, sed redintegravit litterarum studia, domique Magistrum conduxit eruditissimum Georgium Trapezunzium, quem secum detinuit, donec Calixto III. placuit illum Romam ad se vocari, illumque in curia habere. Bernardus magnæ sibi eloquentiæ, eruditionis, & prudentiæ fama parta, omnes suæ Reipublicæ splendidiores gradus domi, forisque sustinuit, decore summo. Anno MCCCCLI. Legatus ad Federicum III. Imperatorem destinatus fuit. Anno MCCCCLIX. ad Ferdinandum Regem Neapolitanum. An. MCCCCLXI. ad Ludovicum XI. Regem Galliarum. Paulo post ad Pium II. Et tandem ad Sixtum IV. Romanos Pontifices. Coram præfatis Principibus omnibus orationes latinas elegantes, eloquentesque oravit, quæ omnes aliis opusculis junctæ editæ reperiuntur sub hoc titulo. *Bernardi Justiniani Oratoris Clarissimi orationes: ejusdem nonnullæ epistolæ. Ejusdem traductio in Isocratis libellum ad Nioclem Regem. Leonardi Justiniani epistolæ.* Præter recensitas legationes, aliosque in sua Patria obtentos honoris gradus, tandem anno MCCCCLXXIV., Ædium

S. Mar-

S. Marci procurator, quæ est post Ducatum, suprema dignitas, institutus fuit. Diem clausit extremum die 10. Martii an. MCCCCLXXXIX. ætatis suæ LXXXII. Scripsit, ultra laudatas orationes, Acta S. Laurentii Patrui sui, & de origine Urbis Venetiarum, rebusque ejus ad quadringentesimum usque annum Historiam in XV. libros tributam, quæ anno MCCCCXCII. tertio post illius mortem, Venetiis edita est in folio.

XVII.

Heinc colligo. Aliqua ne ratione, aut levi conjectura præsumi potest, Bernardum tanta eruditione ornatum, patrui sui S. Laurentii parentem ignorasse? Mortuus S. Laurentius an. MCCCCLV. quocum conversatus circiter quadraginta annorum spatio Bernardus est. Et illius Parentem, suumque proprium paternum Avum nescivit Bernardus Orator elegantissimus, & historicus probatissimus? Originem Venetiarum urbis, ejusque gesta omnium plausu exacte litteris consignavit, & propriæ suæ familiæ, vel paternum avum ignoravit? Quis sana præditus mente id vel in suspicionem vocabit?

XVIII.

Paradoxum equidem, fateor, (inquit P. Carrattinus pag. 10.) videtur non novisse *Bernardum* quis Laurentii Pater fuerit, suique Parentis genitor. At paradoxum quoque est, Baronium id *Surio*, & *Bernardo* Justiniano temere affingere voluisse, nec in eo a Pagio viro eruditissimo, & censore accuratissimo castigatum, emendatumque fuisse, a quo in eodem loco ob leviora menda per quam multum levissima vapulat *Probabilius semper mihi visum est; errasse Bernardum, quam commentum fuisse Baronium.*

XIX.

Ita ne vero? Baronius duo quasi sæcula post mortem S. Laurentii scripsit. Tomum quippe duodecimum evulgavit an. MDC. Baronius rem hanc nec obiter dispexit, sed apud *Surium*, quod narrat, se legisse obiter, & in margine indicat; & tamen *Probabilius* est, Baronium post duo quasi sæcula scribentem, scivisse S. Laurentii Parentem? Minus autem probabile a Bernardo Nepote S. Laurentii Patrem & proprium Avum agnitum fuisse? Eo sane pacto probabilior est argumentatio isthæc, quo probabilior est omnis doctrina *VITÆ CLAUSTRALIS*. Pagius vir eruditissimus, ac censor severus hoc mendum non castigavit in Baronio, cujus leviora carpit. Quid inde? Ergo post criticen Pagii, nullum, vel levissimum mendum in Annalibus Emin. Baronii? Quapropter existimare potius cogimur, Bernardum Justinianum Oratorem, gravissimumque Historicum ignorasse proprium Avum, quam hunc Avum impervium Baronio extitisse? Ejusmodi est Carrattini Antiprobabilismus, ut quod suis favet erratis, semper Probabilius sit.

XX. Con-

XX.

Conjecturas, quas indicavi luculenter confirmant Acta S. Laurentii a Bernardo conscripta. Acta hæc edita sunt separatim. Deinceps inserta fuerunt operibus ejusdem S. Laurentii editis primum Brixiæ, post Basileæ in officina Frobeniana anno MDLX. Eadem Acta inseruerunt & Surius suæ collectioni ad diem VIII. Januarii, & Bollandistæ tom. I. pag. 551. & Daniel Rosa suo operi inscripto *Summorum Sanctissimorumque Pontificum &c.* editio Venetiis 1614. in omnibus his editionibus legitur Patrem S. Laurentii fuisse *Bernardum*, matremque *Quirinam*, secus *Nicolaum & Annam*. Legatur textus Bernardi, quem supra num. V. dedimus. Textus ille in omnibus editionibus idem omnino est. Ibi conceptis verbis narratur, B. Nicolaum ex dispensatione Pontificia duxisse uxorem Annam Michaelem, & ex his originem traxisse Bernardum Patrem S. Laurentii.

XXI.

Itaque conjecturæ omnes evincunt, Bernardum Justinianum non ignorasse proprium Paternum Avuum, Patremque S. Laurentii Patrui sui. Acta, quæ scripsit Bernardus id evidenter confirmant, cum in omnibus eorumdem Actorum editionibus legatur Parentes S. Laurentii fuisse *Bernardum & Quirinam*, secus *Nicolaum* & *Annam*. Ergo ineptum commentum, & putidula fabella est Anachronismus, qui Biographo Bernardo impingitur.

XXII.

Quo se recipit Carrattinus? In Asylum inexsuperabile. Fatetur, quia negare nequit, Acta S. Laurentii a Bernardo conscripta, quæ nunc edita exstant, prodere germanos S. Laurentii Parentes, *Bernardum* & *Quirinam*. Verum reponit, Acta ejusmodi ab *Amica manu* castigata fuisse, & emendata. In Autographo quippe genuino, & sincero Bernardi legebatur Parentes S. Laurentii fuisse *B. Nicolaum* & *Annam*. Verum, ut a tanti Anachronismi labe *Bernardum* purgaret *Surius*, forte in manibus habuit rude Bernardi Autographum: illud emendavit, typisque castigatum evulgavit.

XXIII.

Hæc sunt P. Carrattini verba pag. x. „ Haud levis quippe suspicio „ mihi est, Bernardi MSS. *ab amici manu* expurgatum fuisse. Hiero„ nymus Caballus Congregationis Canonicorum S. Georgii in Alga „ Rector, qui primus operum S. Laurentii una cum ejus vita editio„ nem anno 1506. adornavit, aperte fatetur in calce tom. 3., *se non* „ *modo effecisse, ut essent pulchris litterarum characteribus impressa, verum* „ *etiam diligentissime castigata. Castigo castigas*, inquit cum F. Ambrosio „ Facciolatus, *riprendere, interdum est corrigere*, *emendare*. Neque satis

„ est.

„ est, si dicatur castigata fuisse, ne typographica adessent menda. *Re-*
„ *sponsio hæc arbitraria est temere prolata.*

XXIV.

Si temere prolata responsio foret, cur sponte eam in medium attulit? Prudentis, acutique hominis est, ea prævenire responsa, quæ obvia sunt, atque rationabilia, secus effugia temere conficta. Ubinam indicavit Caballus, se MSS. emendasse? Quid, quod de operibus, secus de vita S. Laurentii Caballus loquitur?

XXV.

Quid ad hæc P. Carrattinus. Quid? Uno *talitro*, se in fumum amandare reponit argumentationem ejusmodi. Quoniam, inquit, si Hieronymus non correxit MSS. Bernardi, illa castigavit Laurentius Surius, idque evincit utcumque *pag.* x. his verbis „ Porro *Surius* in Præ-
„ fat. ad *Pium* V. testatur, quam plures e vitis Sanctorum a se colle-
„ ctas *elimasse*. Quis neget fuisse inter eas vitam S. Laurentii Justinia-
„ ni a Bernardo Nepote conscriptam. " Quæso te nunc mi Polycarme, ut animo adsis si bellissima somnia audire aves. Ecqua via Bernardi Autographum Surius habuit? Unde id conjectaris? Illud ne Coloniam, ubi degebat Surius, Familia Justiniana transmisit corrigendum? Ad Surium quoque misisse dicendum erit vera Nomina Parentum D. Laurentii: tum neminem Venetiis repertum fuisse, qui tantum mendum corrigeret. Vera tamen sint hæc omnia monstra. *Surius* rude Autographum Bernardi castigavit, Anachronismum emendavit, veris restitutis S. Laurentio Parentibus? At Monachatum a B. Nicolao Pontificia dispensatione dimissum, ut scribit Bernardus, non emendavit. Ergo Surius confirmat historiam Monachatus B. Nicolai. Hæc omnia simul accepta, quam sit commentitia correctio Autographi Bernardi facta a Surio, plenissime demonstrant. Accedit, quod Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum parens laudat vitam a Surio editam. Et P. Carrattinus *cit. pag.* x. respondet. *Baronium fortasse inter Surii MSS. rude Bernardi Autographum vidisse.* At unde colligis, aut Baronium Coloniam concessisse, aut *MSS.* Surii Romam transmissa fuisse, & inter hæc *Autographum rude Bernardi Justiniani*? Quid hominis adeo acuti, & perspicacis est, qui tam felici penetratione inauditas hactenus critices Regulas excogitaverit? Derides ne, mi Polycarme, laudata P. Carrattini arguta interpretamenta?

XXVI.

Tu (clamat ille pag. x.) *qui argumentum istud & Gordium nodum sardice derides, profer vitam D. Laurentii a Bernardo conscriptam, sed a nemine correctam, atque emendatam.* Vitam damus S. Laurentii a Bernardo scriptam juxta editiones Caballi, Surii, Bollandistarum, Danielis Rosæ, omnesque alias, quæ paucæ non sunt, absque ulla variante lectione. Satin' hæc? Minime. Plus ergo poscit? Quidnam? Autogra-
phum

phum ipsum Bernardi, & quidem *rude*, & non *ab amica manu castigatum*.

XXVII.

Verba Carrattini singulari diligentia sunt exscribenda ex pag. x. *Ut igitur a suspicione Anachronismi absolvatur Bernardus, ejus autographum adhuc rude, nec castigatum, nec elimatum proferat intempestivus Scriptor*. Conditiones observatu difficillimas præfinit, ut pæana, & triumphos sibi canat securius. Hic pedem figit, & veluti inexpugnabili constitutus in arce, Adversarium sibilis, & cachinnis deridet, irritat, contemnit. Atque onus conditionum aggravat, ut impossibilem reddat executionem. Autographum suis visendum oculis, suisque contrectandum manibus postulat. Et nisi hæc omnia adamussim præstentur, minatur, se nunquam imposterum cachinnis, & sibilis abstenturum fore. Recitemus illius verba: *Irascatur quantum velit, cachinnis non abstinebo, nisi primævum, & genuinum Bernardi Autographum RUDE & non ab amica manu castigatum hisce meis oculis intuear, hisce meis manibus contrectem* pag. xii.

XXVIII.

Post hæc triumphans, & ovans, quoniam ratus præscriptas has conditiones, haud esse implendas, hoc epiphonemate suum vellicat adversarium *cit. pag.* x.

Hoc mihi si præstas, Zoile, magnus es.

Audisti unquam, mi Polycarme, hominem tam sapienter philosophantem, tam argute in arte critica conjectantem, dicerem quasi tam dulciter insanientem? Quæstiones criticæ, alia nunc via dirimi nequeunt, nisi autographa, & quidem rudia a pluribus elapsis sæculis scripta ostendantur? Immo nisi manibus contrectanda exhibita fuerint? Quid si autographum exstaret, sed aliquo in archivo severe custoditum? Quid si domini ejusdem illud alienis fidere manibus nollent? Caussa cecidisti. An non sunt in hac arte periti Judices? Sunt dubio procul. Sed absit ut ad hos appelles. Theologorum, & Canonistarum judicium imploravit eruditus P. D. Nicolaus Justinianus in sua ad *amicum epistola*, super indissolubilitate votorum. Prudens istud consilium hoc sibilo perfricat Carrattinus ultimo scholio ultimaque pagina. *Quod doctissimos Theologos appellet judices prudentis hominis est. Æsopi vulpes uvam ex altiore vite pendentem suspiciens prudenter dixit: acerba est*: Percepisti ne hominis suavitatem? Tam illiberaliter mordet celeberrimi S. Benedicti ordinis alumnum, eruditum sacrorum Canonum lectorem? Verum a similibus morderi, laudari est; ideo, missis dicteris, argumentationem instauremus.

XXIX.

Tempus jam est, mi Polycarme, ut animum tuum hactenus suspensione defixum liberem. Et quæ sit P. Carrattini in re critica, & dialectica peritia, patefaciam. Paucis poteram omnia hominis istius commen-

men-

menta ad aniles fabulas amandare. Sed placuit singula sigillatim expendere, ne quid indictum remaneret. In præsens luculentissimis & decretoriis documentis rem totam dirimam. Conditiones omnes ab adversarios præscriptas, adamussim implebo, ejusque fallam expectationem sole meridiano clarius. Sed antequam id præsto, lubet nonnulla præmittere, quæ adversarium imposterum efficiant in scribendo cautiorem, si tamen . . .

XXX.

Errores, qui in factorum narratione, calamo decidunt, sæpe venia digni sunt. Fallit enim nos sæpe vel memoria, vel oscitantia, nullusque Homerus est, qui aliquando non dormitet; qui nunquam in hoc potissimum genere errare sibi blandiuntur, isti dormiunt vigilantes. Scholia quibus P. Carrattinus Epistolam P. D. Nicolai Justiniani intempestive sugillavit, ea continent menda, quæ nullo fuco, nulla tergiversatione excusari valent. Veniam illi damus, quod in sua Vita Claustrali scripserit *cachinnis rumpor dum hæc in Bernardo Justiniano lego:* quamvis non in Bernardo, sed in Gonet, Salmanticensibus, Terillo, Sarnellio, aliisque legerit. Sunt hæc non adeo raræ ostentationis indulgentia dignæ in homine, qui critices peritus audire gestit, pruritque. At pinguia scholiorum menda severiorem evadere ferulam nequeunt. Cum enim *Carrattinus* ab erudito P. Justiniano in sua ad Amicum epistola, se fabulæ exscriptorem traductum sensit, non ne tum saltem prima critices principia consulere debuisset? Quænam hæc? Primum omnium investigandum illi erat, exstet ne Bernardi autographum *rude, & non ab amica manu castigatum*. Tum annus, quo primum typis edita vita fuit S. Laurentii a Bernardo Nepote conscripta. Post quo tempore Surius Acta Sanctorum, & Baronius tomum 12. ediderunt. Quid enim si edita hæc vita typis fuisset, antequam Surius, Baronius, Sarnellius, Gonet nascerentur in Mundum? Quid si edita esset Bernardo ipso vivente, qualis nunc est in Surio, & in omnibus editionibus? Quid si hæc omnia præstabimus? Clamabit ne Carrattinus?

Quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu.
Hoc mihi si præstas, Zoile, magnus es.

XXXI.

Attentas ergo aures arrigat, animumque intendat. Natus Laurentius Surius est an. MDXXII. Acta Sanctorum edere cœpit an. MDLXIX. extremum obiit diem an. MDLXXVIII. Eminentissimus Cardinalis Baronius natus est an. MDXXXVIII. tom. 12. edidit an. MDCVII. octo post mensibus obiit. Gonet, Salmanticenses, Sarnellius posteriores sunt.

XXXIII.

Bernardus Justinianus Leonardi Filius, Nepos S. Laurentii Justiniani natus est an. MCCCCVIII. obiit an. MCCCCLXXXIX. Vitam S. Laurentii Patrui sui typis edidit MCCCCLXXV. quatuordecim, antequam

tequam e vivis decederet, annos. Antequam vero nasceretur Surius septem supra quadraginta, & antequam ederet acta Sanctorum quatuor supra nonaginta. Luculentissima hæc sunt, dummodo documentis confirmentur. Quod annos vitæ & mortis spectat, nullum dissidium. De editione vitæ S. Laurentii a Bernardo conscriptæ, negotium est. Porro anno MCCCCLXXV. editam esse vitam S. Laurentii, testantur Bollandistæ *tom.* I. ad diem VIII. Januarii in commentariis ad vitam S. Laurentii §. IV. *n.* 9. his verbis. *Vita hæc Laurentii, cum Sixtus* IV. *anno MCDLXXIV. jussisset fieri processum ejus Canonizationis excusa est Venetiis* VI. *idus Maii an. MCDLXXV. & paulo post . . . Authore Nicolao . . . Camaldulensi, quas editiones non vidimus*. Hoc ipsum confirmat Cl. Apostolus Zeno de Republica litteraria optime meritus, & rei potissimum Philologicæ & antiquitatis, tum sacræ, tum prophanæ callentissimus, & quod plus est, morum suavitate, atque modestia nemini secundus, in suo litteratorum Italiæ Diurno tom. XIX. pag. 373. hæc scribit. *La prima edizione di questa vita fu nel 1475. in 4.*

XXXIII.

Quid hæc obtruduntur, clamat Carrattinus? Ut vana reiicio commenta. Rideo testimonia Bollandistarum, Apostoli Zeno, aliorumque omnium. Autographum, autographum ipsum visendum oculis, & manibus tractandum volo, alioquin cachinnis non abstinebo. Autographum dabimus, non calamo, sed typis, Authore ipso vivente, impressum, citato anno MCDLXXV. & ad annum MCDLXXXIX. recognitum, approbatumque. Venetias ergo pergat. Adeat celebrem Bibliothecam laudati Cl. viri Apostoli Zeno. Is consueta sua humanitate exemplar membranaceum elegantissimis typis editum visendum oculis, & tractandum manibus ad satietatem porriget. Tomus in 4. parvo est, constat chartis 40. vita in capita XII. digesta est. Collata cum cæteris editionibus ad unguem respondet. Sub finem voluminis hæc leget.

Finis.

Clarissimi Oratoris Bernardi Justiniani opusculum de vita B. Laurentii Patriarchæ Venetiarum impressum Venetiis, labore, & industria Jacobi de Rubris Gallici, Duce inclito Petro Mocenigo Sexto idus Majas MCCCCLXXV.

XXXIV.

Actum cum P. Carrattino certamen est, labefactata scholia, caussa finita. Ad postremum itaque, quod promisit tractandum, punctum, accedo, ne disputatio nostra tota recidat in contentionis arista. Eo quippe unice pertinent similes disputationes, ut ab isto, non ab illo stare victoriam evincant, ut hunc deprimant, illum extollant, & frequentissime in verborum aucupio, & rixosa interpretatione sistant. Ut hunc devitem scopulum, vindicato Bernardo Justiniano, a putidissimo Anachronismo, quem eidem plures Scriptores nullo prorsus fulti momento adjudicarunt, Monachatum B. Nicolai itidem Justiniani a præfato Bernardo assertum, authenticis confirmare documentis opportunum duxi. Sic enim epistola hæc nostra id habebit emolumenti, quod histo-

historiæ punctum, a quo non leviter pendet gravis Theologica controversia, hactenus fabularum loco habitum, pleno in lumine collocabit.

XXXV.

Natus Nicolaus Justinianus fertur anno MCLIV. Patrem habuit Victorem Angeli Justiniani Filium. Monachum fuisse B. Nicolaum testantur Scriptores omnes tum Synchroni, tum sequiorum temporum, qui illius meminerunt. Extat liber MSS. in fol. in Bibliotheca Viri Clarissimi Petri Gradonici apud S. Justinæ Patricii Veneti, Patriæ suæ rerum callentissimi, qui plusquam centum Antiquitatum Venetarum volumina improbo studio, & diligentia incredibili collegit. In præfato Libro MSS. hæc reperiuntur. *An. 1170. S.r Barbon Morosin, e Sr. Tomà Falier Ambasciadori ad Alessandro III. Papa per ottenere licenza d' uscir dalla Religione, e di potersi maritar nella figlia del Doge Michiel D. Nicolò Zustinian Frate in S. Nicolò del Lido, essendo egli solo superstite della Famiglia Zustiniana.* Quæ sic latine verto. „ Barbo Maurocenus & Thomas Fallerius Legati ad Alexandrum III., ut facultatem impetrarent, qua D. Nicolaus Monachus apud S. Nicolaum de littore egredi e Religione, & matrimonium contrahere valeat cum filia Ducis Michaelis, cum sit unicus Familiæ Justinianæ superstes. „

XXXVI.

In Chronica Bartholomæi Veronensis Ordinis S. Benedicti, & Abbatis S. Nicolai de littore, quæ nunc exstat in Tomo XXII. rerum italicarum &c. hæc habentur. „ An. 1197. Tum deinde Dux, omnisque Venetorum „ Senatus intuentes neminem ex tam illustri Justinianorum stirpe su- „ perstitem gravissime doluerunt, tam inclytum, & imperiale genus, „ funditus deperiisse, ob varios, qui perinde casus possent emergere, „ feceruntque per totam Venetiarum Urbem, necnon adjacentia loca „ perquiri, si quis ejusdem generis residuus forte superesset, & volen- „ te Deo, repertus est quidam e Justiniana Domo progenitus primæ- „ væ ætatis Adolescens annorum sexdecim, nomine Nicolaus, qui *il- „ lis ferme diebus* in Monasterio Sancti Nicolai in Venetiarum portu „ constituto, *Monasticam professus Regulam Divino se cultui manciparat*. „ Qua de re immediate Dominium suis litteris Summum Pontificem „ eminus exoravit, quatenus Apostolica auctoritate cum præfato Ado- „ lescente dispensare dignaretur, ne tam imperialis Propago penitus „ extinguatur, *ut non obstante professionis vinculo*, quo sepræfatus devin- „ xerat Adolescens, ad propagandam sui generis sobolem, digno se „ posset matrimonio copulare. Quod benignissimus Papa Apostolica „ benedictione concessit, injunxitque in virtute sanctæ obedientiæ ju- „ veni prælibato, ut Apostolica benedictione munitus, connubii se co- „ pulæ dedicaret. Pontificali igitur obsequutus imperio, filiæ præno- „ minati Principis Domini Vitalis Michaelis Ducis Venetiarum, cum „ ingenti lætitia totius Senatus stabili conjugio junctus est, ex cujus „ matrimonii copula tres Regiones, seu contractas Urbis Venetiarum „ hæreditario jure possedit. . . . . In quo quidem Matrimonio fauste, ac-

„ dia.

„ diu perduravit; ex quo sex Filios, & tres Natas habere promeruit.
„ Ubi vero vidit tanta se prole donatum, gratias Omnipotenti Deo,
„ una cum conjuge sua Anna nomine in commune retulerunt ... Collocataque omni prole sua, omnibusque ordinate dispositis pari voto,
„ ac consona voluntate præfati Nicolaus, & Uxor residuum vitæ suæ
„ decreverunt in Omnipotentis Dei servitio consumare. Sicque factum
„ est, ut Monasterio S. Nicolai, ubi olim se Nicolaus Adolescentulus
„ dedicarat, se denuo collocaret .... Quem redeuntem, humillime-
„ que proclamantem, se non fore dignum Servorum Dei consortio copulari, *castitate violata, quam solemni professione devoverat*, Abbas,
„ concorsque Congregatio universa obviantes illi revertenti, pari voto
„ clementissime susceperunt in pacis osculo sancto, sermone blando de-
„ mulcentes, & cum spiritu lenitatis instituentes eum „. Bartholomæus Veronensis suum confecit Chronicon ex antiquioribus sui Monasterii Chronicis, in quibus sub an. 1197. vivente adhuc B. Nicolao factum omnibus circumstantiis indutum perspicue narratur.

XXXVII.

Chronicon Andreæ Danduli insertum tom. XII. rerum italicarum ad marginem Codicis Ambrosiani cap. 15. part. 22. hæc habet. „ Proditum est memoriæ cunctam gentem Nobilem apud Venetos Justinianam in hac expeditione interiisse, uno tantum Monacho ex ea gente superstite. Itaque Principem Michaelem dolore cladis tantæ gentis, & interitu permotum suppliciter a Pontifice petiisse, ut liceret illi Monacho, cœnobio relicto, uxorem ducere, indeque tam nobilem Gentem propagare: cumque a Pontifice impetrasset, illi Filiam suam Uxorem tradidisse, indeque omnes, qui nunc sunt Justiniani, fuisse progenitos „.

XXXVIII.

Sabellicus rerum Venetarum Historicus non ignobilis Monachatum B. Nicolai conceptis verbis narrat. Falleris, opponit Carrattinus p. VI. *Duo sunt, inquit, in hac historia, quæ Sabellico non probantur, odium nimium Civium in ducem ob desideratos Justinianos, & superstitis ex hac nobilissima familia Nicolai Monachatus. Odium silet, & Nicolaum sacris solummodo initiatum fuisse scribit. Utri magis credendum sit, an Sabellico inter probatos Scriptores diligenti, puro & docto historico, aut Justiniani Biographo limatissimo, viris nasutis atque eruditis definiendum relinquo.* Quod comparationem spectat Sabellici cum Justiniano, non modo nasutis & eruditis, sed vel & ipsis Tyrunculis Justinianum in hac caussa præstare Sabellico, notum est. E re mea haud est in præsens patefacere, quam sit, in historia, exigua Sabellici authoritas. Norunt hoc omnes rerum Venetarum non ignari. Cæterum, quia Adversarius noster ad Sabellicum caussam appellat, Sabellicum adeamus.

XXXIX.

Sabellicus Decad. 1. lib. 7. ad anno 1172. hæc de Nicolai Justiniani Monachatu scribit „ Recordati itaque, ex ea gente adhuc unum superstitem (Nicolao ei nomen fuisse accepimus) qui sacris initiatus ad

„ Geor-

„ Georgii Fanum, quod est contra Forum (ut alii vero tradunt in „ Littore ad Nicolai ædem) sacris operabatur: publico nomine ad Pon„ tificem mittunt, ut ad eam sobolem reparandam liceret juveni Re„ ligione soluto ex cœlibatu ad conjugium transire „. Quid ad hæc „ Carrattine? Silet ne Sabellicus Monachatum B. Nicolai? Clarius ne exprimere Monachatum poterat ille ipse historicus, quem pro te laudas? Sed ita ratiocinari homo Criticus debebat, ut ubique sibi constaret.

XL.

Joannes Baptista Egnatius lib. 4. cap. 3. hæc de Monachatu B. Nicolai habet. „ Dux ipse tandem id occurrit superesse unum Nicolaum „ *qui Benedicti Religionem jam aliquot annos Professus esset*. Sed & sibi „ unicam superesse Domi filiam, quam despondere illi cuperet, si per „ Alexandri Pontif. Max. gratiam illi daretur; cui petitioni Pontifex „ assensus est, restituendæ tantæ prolis honestissima caussa; quare cum „ ex eo fœlici conjugio mares liberi & fœminæ aliquot editæ essent „ (dictu mirum) & Nicolaus ipse & uxor ejus Fœlicia de ineunda Re„ ligione iterum cogitare cœperunt. Sic igitur ad D. Nicolai in Litto„ re maritus rediit &c.

XLI.

Possem in hujus facti confirmationem laudare Sansovinum lib. XIII. Bucellinum in Menologio Benedictino. Olmum in historia de Alexandri III. adventu. Danielem Rosa in vita S. Laurentii; Casimirum Frescot in Venetæ Nobilitatis Elogiis; Novarinum tom. 2. Admirand. Orb. Chris., aliosque omnes, qui hocce de argumento scripsere.

XLII.

Paucis nunc omnia comprehendo. Omnes ad unum historici, qui B. Nicolai Justiniani meminerunt, Monachum eum fuisse testantur. Nec est, quod opponas, Monachum quidem illum fuisse, at non Professum, ut colligitur ex quodam Chronico Monasterii S. Georgii Venetiarum. Quoniam Præfati historici, quos recensui, summæ authoritatis, professum fuisse illum conceptis verbis adfirmant. Ut quid ad Pontificem Legatos misissent, si Professionem Monasticæ S. Benedicti Regulæ non edidisset? Adeo ne celebris penes historicos ejusmodi Monachatus esset, Professione sublata? Cujus ponderis est auctoritas Chronici, quod opponitur, quodque lustrare mihi haud licuit, si cum unanimi consensu historicorum, qui, & tempore, & sapientia Authorem chronici præcedunt, conferatur? Itaque, si ad critices Regulas dirimenda controversia sit, non video, qui negari hoc factum tot luculentissimis munitum documentis queat. Falsa ne propterea dicenda est S. Thomæ sententia? Minime gentium. Probabiliorem Canonistarum opinionem reputavit Alexander III. Quod si hæc non arrideant, Monumenta promenda sunt, quibus evincatur, historicos omnes, qui Monachum Professum B. Nicolaum Justinianum testantur, fabulam nobis venditasse.

F I N I S.